Diss.
3230
22

4° Dill. 3230 (22

<36606869570017

Bayer[illegible]staatsbibliothek

RATIO STUDII THEOLOGICI,

EX

MORUM ET DOGMATUM DOCTRINIS

IN

REGULARI S.P. AUGUSTINI CANONIA RAITENBUCH

REDDITA CORAM

REVERENDISSIMO, ET CELSISSIMO

S. R. IMPERII

PRINCIPE

AC

DOMINO DOMINO

LUDOVICO JOSEPHO

DIVINA GRATIA FRISINGENSIUM

EPISCOPO,

DOMINO DOMINO SUO

CLEMENTISSIMO.

CUM CENSURA ELECTORALI ET ORDINARIA.

MONACHII,

TYPIS VOETTERIANIS

1775.

EX

MORUM ET DOGMATUM DOCTRINIS

IN

REGULARI S.P. AUGUSTINI CANONIA RATISBONÆ

HABITA CORAM

R. P. IMPERII

PRINCIPE

AC

DOMINO DOMINO

LUDOVICO JOSEPHO

DIVINA GRATIA FRISINGENSIUM

EPISCOPO,

DOMINO SUO

CLEMENTISSIMO

CUM CENSURA ELECTORALI ET ORDINARIA.

MONACHII,

TYPIS A. VOGTHERRIANIS

Bayerische
Staatsbibliothek
München

REVERENDISSIME,

AC

CELSISSIME

DOMINE, DOMINE!

Pateris Clementiſſime Princeps! ut ſub glorioſis tuis auſpiciis theologicum ineamus certamen, neque a Celſitudine tua arbitraris alienum, athletas etiam immeritos gratioſiſſimis fovere, quin & excitare præſidiis.

Hoc vero beneficium etſi, dum nos ipſos conſideramus, tam ſit eximium, ut, qui honorificentius deſcendere in arenam poſſimus, non diſpiciamus: Tibi tamen, ſi inexhauſtam illam, in procurando cleri Tibi ſubditi decore, penſamus induſtriam, neque ſingulare eſſe, neque Tibi inſolitum, haud veremur affirmare.

Tanta enim tamque peculiaris eſt, quæ Te vel medios inter fluctus ſollicitum habet, tuorum bono conſulendi cura, ut, ſi abeſſent etiam tot alia, quibus emines, virtutum monumenta, hæc una, & ardentiſſima Tibi tuorum ſtudia, & immortales a ſera poſteritate polliceretur gratias.

Quid ni igitur ampliſſimos ab iis fructus exigis, qui, cum tot Tibi nominibus ſint devoti, illud inſuper in acceptis referant, eſt neceſſum, quod vitæ, & ad caſtæ religionis dogmata, & ad ſalutem patriæ, & ad eccleſiæ majores utilitates, & demum ad ſupremi Numinis augenda commoda traducendæ, quoquo modo ſervire poteſt.

Ea

Ea certe maxima pro tuis Tibi ſollicitudo eſt. Hac favere Raitenbuchio clementiſſime dignatus es hucusque. Hæc & noſtras debuit acuere vires, quibus, quantum Te veneremur, teſtemur orbi.

Hæ vero quamvis ſint imbecilles, ac exiguæ, nec auderent tuæ appropinquare Celſitudini, cujus a faſtigio reverentia etiam, quam Tibi profitemur ſummam, nos ſubmoveret: acceſſum tamen clementiſſimum indulſit incredibilis illa, quam infimis quibusve ſoles exhibere, facilitas.

Sacratis itaque pedibus advoluti, celſiſſimis tuis conſecramus honoribus ſententiarum e morum & dogmatum theologia com-

pendium, eoque Sacerdoti magno atque animarum noſtrarum Epiſcopo rationem reddimus earum doctrinarum, quibus addiſcendis trium annorum vigilias impendimus.

Digneris Clementiſſime Princeps! gratos habere conatus noſtros quantuloscunque, tuamque paternam certaturis impertiri benedictionem, quam de genibus profundiſſima demiſſione exoramus

Reverendiſſimæ Celſitudinis
Tuæ

Humillimi
Anſelmus Grienwald, S. Theologiæ Profeſſor,

die VI. Julii MDCCLXXV.

Franciſcus Rid
Innocentius Luz
Presbyteri, & Canonici Regulares S. Auguſtini in Raitenbuch.

COMPENDIUM

SENTENTIARUM THEOLOGIÆ

DOGMATUM ET MORUM,

EX
THEOLOGIÆ PROLEGOMENIS.

I.

Exiſtere Deum, ſeu ens quoddam ſupremum, & animam humanam eamque immortalem, ex recta philoſophia poſtulatur.

1. Inde pronum fit concludere, Deo cultum quempiam ab hominibus eſſe conteſtandum, non utique alium, quam qui placuerit ipſi, ſitque ab eo præſcriptus, ut adeo religio tam naturalis adverſus Atheos, quam revelata contra Theiſtas ſtabiliatur.

2. Cum Deus non niſi unicus ſit, vana eſt Polytheorum religio.

3. Religio Judæorum vera eſſe ceſſavit hodie, &

4. Machometis quoque Alcoranus veræ religionis characteribus deſtituitur.

5. Itaque recte ea ſola vera creditur religio, quæ a fundatore Chriſto nomen ſortita eſt: & ea vera eſt eccleſia, quæ ex hominibus, Chriſti religionem ſectanctibus, congregatur.

6. Ex religione chriſtiana proficiſcitur theologia chriſtiana, quæ rerum divinarum ex iis, quæ revelata ſunt, doctrina ſacra adpellatur. Maxima ejus tum neceſſitas, tum utilitas eſt, modo abſint ex ea inaniſſimæ nulliusque momenti quæſtiones, quas quorumdam, haut ſatis

ſobrie cogitantium, ingenia nullo rei theologicæ emolumento obtruſere. Porro in ſacratiori hac diſciplina nihil ſalubrius fit, quam ut rationem præcedat authoritas; quapropter non ex intellectus humani, licet acutis, fallibilibus tamen ratiociniis, ſed ex SS. literarum, SS. Patrum, & venerabilium conciliorum authoritatibus, atque ſummorum Pontificum ſanctionibus diſcendum eſt, quidquid ad theologiam pertinere dignoſcitur, ſtandumque eccleſiæ, non rationis infirmæ judicio.

II.

Vera Chriſti eccleſia debet eſſe una, unitate fidei, & capitis; ſancta, ſanctitate doctrinæ & membrorum; catholica, & apoſtolica, in doctrina, & ſucceſſione legitimorum paſtorum.

1. His notis veram Chriſti eccleſiam a ſpuria diſcernere datur. Falluntur proin, qui, ſitne genuina Chriſti eccleſia, judicare volunt ex ſincera fidei doctrina, aut legitimo Sacramentorum uſu.

2. Unitatem nunquam dilacerabunt ii, qui prodierunt ex nobis ad partes adverſas, ſed non ſunt ex nobis. Sanctitati ne umbram quidem offundunt perverſi ac reprobi. Nec fidelium numerus quantumvis exiguus minuit univerſalitatem.

3. Cum ſigna illa diſcretiva in ſola romana ſit invenire eccleſia, ſequitur, reliquas Lutheranorum, Calvinianorum, Zwinglianorum, & omnium, qui quovis tempore extiterunt, heterodoxorum eccleſias deſerendas omnino, & Chriſti nomine indignas habendas eſſe.

III.

In eccleſia Chriſti inſtitutione ordo imperantium eſt, & obedientium.

1. Syſtema de collegio æqualium prorſus non videtur cum ſcripturis ſacris cohærere.

2. Ipſa vero poteſtas rectoria apud pontificem & epiſcopos duntaxat eſt.

3. Sacra hæc præſulum poteſtas minime derogat imperio principum ſæcularium, necque induit ſtatum in ſtatu. Atque hinc concordia ſacerdotium inter & imperium bene poteſt intelligi.

4. Recte proin genuina veræ eccleſiæ definitio ſic effertur: Eſt ſocietas fidelium baptizatorum ejusdem fidei profeſſione, eorundem ſacra-

ſacramentorum participatione, & eodem cultu inter ſe adunatorum, ſub regimine legitimorum paſtorum, ac præcipue unius in terris Chriſti vicarii, ſummi pontificis.

IV.

Vera eccleſia non poteſt eſſe errori obnoxia, ubi quidpiam definit, quod ad fidem, vel ad mores pertinet.

1. Definiendi facultas Papæ competit, & iis, quos Spiritus S. poſuit regere.

2. Lex fundamentalis eccleſiæ, ac theologiæ chriſtianæ, ſunt ſcripturæ ſacræ, in quibus totum eccleſiæ æque ac theologiæ ſyſtema continetur. Finis eſt cultus Dei, & ſalus æterna mortalium, extra eccleſiam romano-catholicam per ſe non obtinenda.

V.

Exiſtunt Scripturæ divinæ.

1. Potuerunt Baſilidiani, Valentiniani, & alii priorum ſæculorum hæretici homines, poſſunt & hodie Libertini quidam in eam ruere proterviam, ut verbi divini libros non in dubium vocarent tantum, ſed negarent, Deum nunquam locutum eſſe homini, aut ei quid revelaſſe. Religionis chriſtianæ principia his armis aperte dirui, nemo non intelligit.

2. Primum ſacrorum librorum canonem pro eccleſia judaica edidit Esdras poſt captivitatem babylonicam. Ad canonem librorum certo divinorum pro eccleſia vera chriſtiana pertinent omnes & ſoli, quos Gelaſius I. Papa in concilio romano, & concilium tridentinum ſeſſ. 4. Decret. de canon. ſcriptur. enumerant. Reliquos, videlicet tertium & quartum Esdræ, tertium & quartum Machabæorum, orationem regis Manaſſe, Evangelia SS. Andreæ & Barnabæ &c. apocryphis accenſere haud nefas eſt. Liturgias etiam, quæ SS. Petro, Jacobo, Marco, Matthæo &c. inſcribuntur, ex juſtis rationibus reſpuunt critici. Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, ſapiunt omnino priſtina chriſtianorum inſtituta, pluriumque habent roboris, ſi loca adulterata demantur: eorum tamen authores Apoſtolos eſſe, non evincitur. Libros conſtitutionum apoſtolicarum tam ipſis Apoſtolis,

quam S. Clementi Papæ ſuppoſitos eſſe, multis ſuadetur argumentis. Concilium antiochenum Apoſtolorum, & canones, quos ipſi in eo condidiſſe feruntur, non abs ratione inter opera ſpuria locantur.

3. Cum libri autographi temporum ſint injuria deleti; nunc apographos tantum habemus, variis linguis editos. Eos inter eminet vulgata latina, quæ concinnata eſt ex vulgata antiqua, & nova verſione S. Hieronymi. Hæc tam intrinſece quam extrinſece authentica eſt ſaltem quoad res, quæ fidem concernunt, & mores.

4. Etſi tota ſcriptura ſit a Deo revelata & inſpirata ſaltem quoad ſenſum, multis tamen in locis intellectu difficilis eſt. Qua in re verus ſenſus non a privato ſpiritu, nec a magiſtratus politici interpretatione, ſed ex mente eccleſiæ ac unanimi traditione Patrum eſt hauriendus.

5. Scriptura quidem ſacra ad noſtram doctrinam ſcripta, & utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: nihilominus juſtiſſime Pius IV. Reg. 4. indic. ſtatuit, ne Bibliorum vernaculorum lectio paſſim ſine diſcrimine permittatur. Quæ ſaluberrima conſtitutio non penitus in germania noſtra abolita, uſu tamen quodam contrario non nihil mitigata poteſt exiſtimari.

VI.

Contra diverſos diverſorum ſæculoruu hæreticos vindicatur exiſtentia traditionis divinæ; eaque neceſſario eſt admittenda ex ipſis ſcripturis divinis.

1. Generaliter doctrinæ ſive fidei ſive morum, quas vivæ vocis oraculo vel ex Chriſti, vel ex Apoſtolorum, vel eccleſiæ inſtitutione acceptas, continua ſucceſſione ad poſteros derivatas, perpetua obſervantia firmatas, etſi nullo eorum originario ſcripto conſignatas, aliis tamen fide dignis monumentis adnotatas eſſe conſtat, *Traditio* adpellantur. His natura ſimul, & partitio traditionis exponitur.

2. Traditionis auxilio orthodoxum, ubi difficilis eſt, ſcripturæ ſenſum, & quædam fidei morumque capita, quæ in verbo Dei ſcripto non continentur, intelligimus.

3. Pro dogmatica & divina non poteſt recipi traditio, niſi infallibili eccleſiæ judicio, quod ex unanimi SS. Patrum de ejusmodi re tradita ſcribentium, eorumque certo genuinis duntaxat operibus deſumendum eſt, pro tali habeatur. Hoc medio traditiones veræ dignoſcun-

noſcuntur a falſis. Quare non criterium ex prudentum teſtimonio, eruditione hiſtorica, linguarum peritia &c. ſed regulam amplectimur S. Vincentii Lirinenſis, quam in commonitor. c. 3. tradit. „ *In ec-* „ *cleſia catholica magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubi-* „ *que, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, ſed hoc demum* „ *ita fiet, ſi ſequamur univerſalitatem, antiquitatem, conſenſionem.*

4. Summa eſt traditionis divinæ authoritas, & tanta, ut cum verbo Dei ſcripto de primatu dimicet. Inter traditiones veras & ſpurias medium locum obtinent credulitates piæ, ex objecto ſuo ampliſſimæ, non quidem ſuperſtitioſe amplectendæ, ſed nec temere rejiciendæ. Traditiones autem vulgares prudentum quivis merito reſpuit.

VII.

Summum caput eccleſiæ Chriſtus eſt. Quoniam vero ipſe in cælos abiturus, & tamen eccleſia usque ad finem mundi duratura erat, vicarium in ſupremo eccleſiæ regimine conſtituit S. Petrum, & Epiſcopos romanos, S. Petri ſicut in epiſcopatu, ita & in primatu tam honoris, quam jurisdictionis ſucceſſores. Hinc.

1. Romani Pontificis eſt, gerere ſollicitudinem omnium eccleſiarum, ſic tamen, ut jura paſtorum ſubordinatorum, videlicet Epiſcoporum, non violet; nec poteſtatem ſuam ultra limites a Deo pro ædificatione tantum eccleſiæ ſtatutos extendat.

2. Papa, etiam extra concilium & ante conſenſum eccleſiæ, infallibilis eſt, quando ex cathedra quidpiam dijudicat in materia fidei aut morum. Quodſi hæc ſententia, quæ plures, e Gallis præſertim adverſarios habet, etiam non ſubſiſteret; nihilominus Chriſtiani omnes in conſcientia tenerentur, decretis ejusmodi obtemperare; nec quispiam contrarium docere poſſet, quamdiu eccleſia per eos, ad quos ſpectat, non reclamet: & poſtulat eccleſiæ pax, nequis eidem pervicaciter reſiſtat.

3. Papa non poteſt errare approbando inſtitutum religioſum, ut in ſe pium. Si quoddam inſtitutum religioſum denuo extinguat Pontifex, non ideo in approbando inſtituto erraſſe cenſendus eſt; ſed declarat tantum, talem ordinem, quamvis in ſe ſanctum, jam vel eccleſiæ non eſſe neceſſarium, vel non utilem.

4. Judicium Pontificis expers erroris eſt, dum homines Sanctorum aut Beatorum numero inſerit, publice in eccleſia colendos.

5. Dum

5. Dum Papa libros aut propoſitiones proſcribit, ipſius judicio aſſurgendum eſt; nec ſolum religioſum ei ſilentium, ſed internus etiam mentis aſſenſus exhiberi debet. Minime vero exiſtimandum eſt, factum vel ſententiam aliquam ab ipſo approbari, quando tolerando diſſimulat.

6. Denique Papa ab errandi periculo liber eſt in quæſtionibus facti revelatis, & iis etiam, quæ tantam cum revelatis habent connexionem, ut ex talis facti negatione ipſa fidei veritas in diſcrimen poſſet adduci.

7. Papa leges diſciplinares pro univerſa eccleſia condere poteſt, quæ tamen non adverſentur libertatibus eccleſiarum particularium, & concordatis inter ſanctam ſedem & nationes initis.

8. Competit Pontifici jurisdictio temporalis in ſuo territorio, quod potiſſimum munificentia Pipini, & Caroli M. ad romanam eccleſiam pervenit, ut adeo inſtrumentum donationis conſtantinianæ merito ſuppoſitum credatur. Extra ſuum territorium circa temporales & politicas cauſſas nihil valet Papa; nec translatio imperatoriæ dignitatis a Græcis ad Francos, & unctio Imperatoris a Pontificibus olim peracta, ſunt ſignum poteſtatis in temporalia Principum, vel Imperatorum.

VIII.

Concilia generalia æcumenica, legitime celebrata, infallibile Theologo præbent argumentum, ubi de rebus fidei aut morum pronunciant.

1. Concilia ſunt conventus eccleſiæ præſulum, ad religionis tractanda negotia rite convocatus. Concilia vel generalia, vel particularia ſunt. Generalia, ſi œcumenica ſint, ſummæ habentur authoritatis. Conciliorum origo divina eſt: quam proin male Proteſtantes vel ex jure apoſtolico, aut eccleſiaſtico, vel ex conſociatione communitatum chriſtianarum repetunt. Hodierna Conciliorum celebrandorum methodus plane congruit cum norma apoſtolici act. 1.

2. Ut legitimum ſit generale concilium, extra caſum ſchiſmatis, membra capiti debent eſſe unita. Debet eſſe convocatum a romano Papa, cui ſoli id juris competit: Imperatori tamen, ceu defenſori eccleſiæ, & aliis reſpective Principibus, ſuæ hac in re partes juſte aſſeruntur. Diſſenſum merentur ii, qui poteſtate mere imperiali octo prima concilia generalia convocata fuiſſe auctumant. Concilio ſic con-

convocato debet præſidere romanus Pontifex per ſe, vel per ſuos legatos. Quando contingit, cuidam concilio Papam nec per ſe, nec per legatos ſuos præſidere, legitimum evadet, ſi poſtea ab univerſa ſit acceptatum eccleſia, & a ſummo Pontifice confirmatum.

3. Maxima eſt conciliorum utilitas pro eccleſia, & ſæpe neceſſitas haud vulgaris.

4. Authoritas conciliorum particularium, ſive morum, ſive fidei doctrinam explanent, æſtimanda maxime eſt, & pluris valere nobis debent, quam innumeri caſuiſtarum libri, qui ſynodorum conſtitutionibus vel non inſpectis, vel neglectis, vel ſpretis omnino, non ex ſanctiorum legibus regularum, ſed luxuriantis, infirmæ, corruptæ, nec altioribus luminibus illuſtratæ rationis argutiis, conſcientias illaqueant potius, quam inſtruunt.

IX.

Sicut univerſalis eccleſia per romanum Pontificem gubernatur, ita Chriſtus ordinavit, ut alii quoque Epiſcopi eſſent eccleſiæ rectores.

1. Particularibus ſuis diœceſibus ita præſunt Epiſcopi, ut in iis diſponendi ea, quæ pro majori ſubditorum diœceſanorum utilitate ſervire poterunt, polleant authoritate a Chriſto communicata; quæ tamen authoritas certis limitibus & ſubordinata.

2. Itaque cum debita reverentia literas paſtorales, quæ ad directionem mere ſpiritualem ſunt, recipere & exequi debent diœceſani, & ſe generalibus Epiſcoporum ſuorum legibus, quas libri rituales continent, omnimodis accommodare. Atque ejusmodi Epiſcoporum conſtitutiones tam ipſis fidelibus quam theologis legum explanatoribus adinſtar normæ ſunt habendæ.

X.

Sanctorum Patrum irrefragabilis eſt authoritas, ubi in quadam ſive fidei ſive morum doctrina conſpirant omnes.

1. Sententia unius aut alterius tantum Patris, vel etiam plurium non niſi probabile præbet argumentum, longe tamen fortius, ac venire poteſt ab alio viro, quem nec excellens pietas, nec ſpecialis doctrina commendat.

2. Ut autem SS. Patrum volumina cum fructu legantur, potiſſimum ex regulis hermenevtices & critices advocare ſubſidium oportet.

DE REBUS SPECTANTIBUS AD DOCTRINAM CIRCA DEITATEM.

XI.

Deus creavit cœlum & terram, angelos & homines ad ſuam gloriam.

1. Et angeli & primus homo Adam ſpecioſiſſimis in ſui creatione donis erant inſtructi, confirmandi in iis, imo etiam ad majorem felicitatem ac æternam Dei fruitionem transferendi, ſi modo mandata, quæ Deus utrique ſervanda propoſuerat, cuſtodirent.

2. Sed peccarunt angeli ac Adam ſuperbiæ ac inobedientiæ peccatum. Inde factum eſt, ut ceciderit angelorum pars tertia ab illo ſuo ſtatu in miſerias ſempiternas, ubi a Dei facie excluſi igne torquebuntur nunquam extinguendo. Adam vero in pœnam prævaricationis e paradiſo voluptatis pulſus eſt in terras, exilii locum, privatusque prærogativis illis, quos ſtatus innocentiæ, in quo conditus erat, ipſi contulerat, iisdem ſecum ærumnis involvit, poſteros homines, nunquam perventuros ad faciem Dei æternamque felicitatem, niſi alio lapſis ſuccurrere medio conſtituiſſet miſericors & Miſerator Dominus.

3. Itaque angeli non ſunt in ſuum nihilum redacti, ſed hodiedum exiſtunt tam boni quam mali, omnes incorporei. Novem ſunt angelorum ordines ſeu chori, in tres hierarchias diſtincti.

4. Angeli mali infenſiſſimi ſunt mortalibus, eorum animas malis ſuggeſtionibus tentant, atque ad peccatum alliciunt; corpora quoque infeſtant aliquando, quibus varia afferre incommoda poſſunt etiam nunc; imo homines non nunquam vel obſident, vel poſſident omnino: Boni contra angeli hominum gerunt cuſtodiam, quibus a Deo conſtituti ſunt tutelares.

XII.

Deus eſt finis ultimus, quem intendimus homines.

1. Finis ultimus eſt ſtatus quidam felix, in quo erit plenitudo bonorum, & complementum omnium deſideriorum.

2. Beatitatis hujus objectum non invenitur in bonis fortunæ; nec in bonis corporis, aut Epicureorum voluptatibus; nec in bonis ani-

animi; nec in cumulo rerum creatarum omnium. Quid igitur ultra? *feciſti nos ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* S. Auguſt. l. 1. Confeſſ. c. 1.

3. Cognitionem Dei ſacræ paginæ nobis ingerunt; ſed ex univerſi hujus corporei, atque ex noſtrum ipſorum contemplatione in Dei notitiam ducimur. Unde homo, rationis ſufficiente uſu præditus, ne per breviſſimum quidem tempus ſine culpa hanc poteſt ignorare veritatem „ Exiſtit Deus.

4. Quem novimus Deum, ſicut Deum glorificare obligamur. Inde omnes religionis obligationes.

XIII.

Si Deum glorificaverimus, Deum ipſum, veram beatitatem noſtram aſſequemur: ſin minus cum angelis malis & nos excludemur, æternis cruciandi ſuppliciis.

1. Aſſequemur videlicet Deum per viſionem intuitivam, & eo per amorem beatificum æternum fruemur in cœlis, in quo ipſo demum conſiſtit vera beatitudo.

2. Equidem olim animæ, quæ ante Chriſti adventum in ſtatu gratiæ ſine ullo pœnæ etiam temporalis rectu e corpore migrarunt, non ſtatim ſunt ad cœlos admiſſæ, ſed retinebantur in loco quodam, quem Limbum Patrum vocant theologi, ad quem locum poſt mortem ſuam Chriſtus deſcendit, atque inde animas illas eduxit, cœlo ſecum inferendas, Deique viſione beandas: hodie tamen poſt Chriſti adventum ejusmodi animæ ſtatim a morte aſſummuntur ad viſionem beatificam.

3. Animæ decedentes in ſtatu peccati gravis, nondum debito modo retractati, ſtatim a corpore, ac non primum poſt judicium univerſale (quod hæreticis quibusdam placuit) detruduntur in infernum; qua voce intelligitur locus aliquis realis ac pœnalis, in terræ viſceribus ſitus. Hoc in carcere damnati ſuſtinent pœnam damni & ſenſus. Pœnæ ſenſuum ibi non ſunt tantum phantaſticæ aut metaphoricæ, ſed reales & corporum afflictivæ; imo ignis infernalis, licet materialis tantum ſit, ipſos tamen etiam ſpiritus urit. Afflictio, quam ſpiritus damnati ab hoc igne patiuntur, non habetur præciſe per hoc, quod ii neceſſitentur ad ſemper cogitandum de igne tanquam inſtrumento & ſigno irati Dei; nec tantum per alligationem eorum ad ignem;

nem; ſed ignis ex altiori Dei diſpoſitione præparatus ita cum proportione ſpiritus afficit, ſicut vis uſtiva afficit corpora. Utraque tam damni, quam ſenſus pœna in inferno æterna eſt.

4. Animæ decedentes quidem in ſtatu gratiæ, ſed cum aliquo pœnæ temporalis reatu, non ſtatim ad viſionem beatificam Dei perveniunt; ſed prius mittuntur in purgatorium, ut ibi pœna ſenſus & damni crucientur tamdiu, donec divinæ juſtitiæ plene fuerit ſatisfactum. Igitur exiſtentia purgatorii dogma fidei eſt. Pœnas purgatorii male ultra diem reſurrectionis extendit Origenes, nimium arctavit Dominicus a Soto, qui docuit neminem ultra decennium in flammis iſtis morari. Animæ purgantes in loco illo jam nec mereri nec peccare poſſunt, ſunt tamen certæ de beatitudine æterna ſibi obventura, & ſuffragiis vivorum ita juvari poſſunt, ut inde vel dolorum levamen percipiant, vel citius ad Dei viſionem pertingant.

5. Parvuli, ſine baptiſmo morientes, nunquam conſequentur viſionem beatificam: eſt contra Zwinglium: nec ſine errore cum Pelagianis beatitudinem ipſis naturalem quis promitteret.

XIV.

Si Deum, beatitatem noſtram, aſſecuturi ſumus, videbimus eum ſicuti eſt in ſe.

1. Solius naturæ vires minus ſunt ſufficientes, ut earum virtute vel in hac vita vel in altera videre valeamus, ſuperni tamen luminis auxilio intuebimur beati aliquando Deum in ſe ipſo, nec in teophaniis tantum. Moyſi & Paulo, dum adhuc in vivis degebant, viſionem Dei intuitivam obtigiſſe non credimus, nec ſcimus, qua hodie ſorte fruantur Enos, & Elias.

2. Viſionem Dei in altera vita omnibus æqualem eſſe peſſime dixerunt Jovinianus, & Lutherus. Hæc ipſa viſionum inæqualitas non a majori vel minori perſpicacia, ſed a meritorum diverſitate repetenda eſt.

3. Contra Anomæos tenemus, intellectum creatum nunquam ita poſſe elevari, ut Deum comprehendat comprehenſione ſive extenſiva, ſive intenſiva. Deum oculis carnis unquam aut viſum fuiſſe, aut abſolute videri poſſe, doctrina eſt ex gentilium, & Antropomorphitarum erroribus profluens.

XV.

Deus ſimpliciſſimus ſpiritus eſt.

XVI.

Deus immenſus eſt, ac rebus omnibus intime præſens.

1. Eſt vero Deus præſens non modo per cognitionem & operationem ex mente Socinianorum, ſed etiam per eſſentiam ac ſubſtantiam ſuam.

2. Et terrere quosdam, & erigere alios intima Dei videntis præſentia debet.

XVII.

Deus immutabilis eſt.

Quæ extra Deum contingunt, in Deo alterationem nullam pariunt.

XVIII.

Deus eſt ſumme bonus, ſanctus, potens, & ab æterno exiſtens, & infinite perfectus in omni perfectionum genere.

1. Perfectiones divinæ admonent mortales officii ſui, quo jubentur imitatores eſſe Dei, ad cujus ſimilitudinem ſunt conditi. Certe finis vitæ cum virtute degendæ eſt, ut quis divino numini aſſimiletur. Id vero obtinetur tum legum obſervatione; *cuſtoditio legum conſummatio incorruptionis eſt: incorruptio autem facit eſſe proximum Deo.* Sap. 6. v. 20. Tum exercitio virtutum, quæ *vivi ſunt colores, quibus in nobis nativa Dei forma exprimitur.* S. Greg. Nyſſen. de Opific. hom. c. 4.

2. Perfectiones Dei abſolutæ nec inter ſe, nec a Deo diſtinguuntur realiter. Ad fabulas quoque pertinet Valentinianorum Æones, quas diverſis temporibus mundo per Prophetas, Apoſtolos, Chriſtum &c. apparuiſſe aſſerebant, & lux Palamitarum, quam inter preces capite pectori compreſſo ſe vidiſſe ſomniabant. Errorem e diametro oppoſitum docuere Ætius & Eunomius, qui ne rationis quidem

 diſtin-

distinctionem admittebant. Quo demum modo distinguantur perfectiones divinæ, quæstio est, de qua absque emolumento litigant scholæ.

XIX.

Deus justissimus est.

1. Præcipua consideratione digna est Dei justitia, quæ norma debet esse nostræ.

2. Justitia decernit Deus bonis præmia, supplicia malis.

3. Justitia veniet die, quem nescimus, palam judicaturus vivos & mortuos, quos speciali quidem & nobis incognito judicio jam judicaverat in fine vitæ eorum.

4. Non pugnat contra justitiam Dei, quod pios hic affligi ærumnis permittat, impios autem abundare deliciis.

5. Sic autem justitiam exercet Deus, ut paratus semper sit condonare offensas, sibi illatas, pœnitentibus. Vocat, & exspectat ad pœnitentiam malos, quos tamen Dei longanimitas non debet reddere præsumptuosos, ne forte justitia subintret. Animare Dei tanta ignoscendi pronitas debet, ut cum spe ad thronum gratiæ accedamus, veniamque petamus cum fiducia: Sed & instruimur, quales esse nos oporteat erga illos, qui mala nobis pararunt.

XX.

Scientiarum dominus Deus est.

1. Cognoscit Deus, quidquid est cognoscibile, videlicet seipsum, creaturas existentes & possibiles, res vilissimas, peccata hominum occultissima, secreta cordium, futura sub conditione, actus liberos &c.

2. Scientia tamen Dei libertati mortalium nullo modo obest.

3. *Quommodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam & scire non possum.* S. Aug. in Ps. 49.

XXI.

Deo cura & providentia est rerum omnium.

1. Nulla res tam abjecta, quæ ab ipso moderatore non dirigatur. Itaque fatali necessitate aut fortuito nihil evenit.

2. Deus voluntate antecedente, vera ac ſincera, non ſolum prædeſtinatorum, ſed omnium hominum, etiam infantium ante baptiſmum morientium, ſalutem vult.

3. Judiciorum divinorum abyſſum ingredimur, dum quosdam ab eo prædeſtinari, alios reprobari ab eodem cogitamus.

4. Prædeſtinatio eſt electio creaturæ intellectualis vel rationalis ad gratiam, vel gloriam. Singularem Deus circa prædeſtinatos providentiam & dilectionem habet, & ii ſoli vitam conſequuntur æternam. Licet prædeſtinatio certa ſit in ſe & immutabilis, nullam tamen prædeſtinatis imponit neceſſitatem: Nemo etiam hominum de ſua prædeſtinatione certus eſſe poteſt ſine ſpeciali revelatione.

5. Reprobatio eſt præſcientia iniquitatis quorumdam non finiendæ, & præparatio damnationis eorundem. Erronea eſt opinio heterodoxorum antelapſariorum, volentium, quod ante lapſum hominis & quodcunque peccatum præviſum Deus ex mero ſuo arbitrio quosdam deſtinarit ad ſempiternum interitum. Erronea quoque poſtlapſariorum opinio eſt, pro cauſa reprobationis admittentium peccatum originale. Cauſa reprobationis a ſolis peccatis actualibus eſt repetenda. Deus a gratia ſufficiente neminem reprobat, multos ab efficaci. Ob peccata præcedentia Deus reprobo gratias poſteriores ſubtrahit, & ulteriora peccata in pœnam permittit.

6. Effectus prædeſtinationis eſt efficax vocatio, & juſtificatio electorum, eorumque glorificatio. Effectus reprobationis eſt pœna tum ſenſus tum damni, ſola tamen ea, quæ in altera vita patienda imponitur.

XXII.

Deus in eſſentia unus quidem eſt, tres tamen in eo adverſus Sabellium Perſonas, realiter inter ſe diſtinctas, profitemur, ita, ut ſint unus numero & natura Deus.

1. Tres perſonæ nominibus relativis vocantur Pater, Filius, Spiritus ſanctus. Duas in Deo proceſſiones, & quatuor relationes originis ſcimus.

2. Perſonæ divinæ non diſtinguuntur realiter ab eſſentia divina: & ſingulæ perſonæ ſunt verus Deus, conſubſtantiales non tantum per figuram, ſed veritatem ſubſtantiæ, unitate non tantum ſpecifica, ſed numerica.

3. Ratione mere naturali demonſtrare myſterium hoc nemo poterit: non tamen ideo cum recta ratione pugnat.

XXIII.

Filius Dei verus Deus eſt.

1. Chriſtus vi ſuæ naturæ divinæ extitit, antequam naſceretur ex B. Virgine Maria. Procedit etiam a ſolo Patre, æterna generatione per intellectum.

2. Patres concilii ariminenſis ariana unquam hæreſi fuiſſe fœdatos penitus negamus, a qua etiam immunem fuiſſe arbitramur Liberium Papam, etiamſi velit ſupponi, eum cuidam formulæ Sirmienſi ſubſcripſiſſe.

XXIV.

Etiam Spiritus ſanctus Deus eſt, Patri & Filio conſubſtantialis, ab utroque procedens.

1. Quapropter jam inde a ſæculo V. ſymbolo conſtantinopolitano recte adjecta eſt particula *Filioque*.

2. Pater tamen & Filius unicum ſunt Spiritus S. principium.

3. Procedit Spiritus S. per voluntatem Proceſſio quidem Filii generatio eſt, non item proceſſio Spiritus S., quæ ſimpliciter proceſſio dici poteſt. Sicque os obſtruitur Arianis, Macedonianis, & Eunomianis, cavillantibus, in noſtra catholica ſententia Spiritum S. Filii eſſe fratrem, aut Patris ex Filio nepotem &c.

XXV.

Secunda ex Trinitate Perſona naturam aſſumpſit humanam.

1. Aſſumpſit perſona Filii veram, nobisque conſubſtantialem naturam humanam; qua aſſertione Phantaſiaſtæ configuntur.

2. Non poſſumus adſtipulari Valentinianis aſſerentibus, Dei filium corpus e cœlo in terras ſecum attuliſſe: ſed traxit illud ex B. V. Maria, & quidem Virgine integerrima, contra, ac Carpocrates & Cerinthus blaſphemabant: imo eadem B. Dei genetrix etiam poſt Salvatoris partum virginitatem conſtanter illibatam ſervavit.

3. Non recte ſenſerunt Origenes, qui docebat animam Chriſti præextitiſſe, creatam cum animabus cæteris initio mundi: & Neſtorius, volens, præformatum fuiſſe totum hominem modo communi in utero, antequam aſſummeretur.

XXVI.

Unio Verbi divini cum natura humana in Chriſto vere hypoſtatica eſt, ſic, ut in Chriſto ſit unica tantum Perſona Verbi, non tamen natura divina & humana per incarnationem Verbi coaluere in unam.

XXVII.

Duas in Chriſto voluntates, & duas volitiones, divinam nempe & humanam, propugnamus adverſus Monotheletas.

XXVIII.

Unio hypoſtatica eſt perpetua, nec in Chriſti morte fuit diſſoluta, ſeparatis licet corpore & anima.

Cum ex unione hypoſtatica ſequatur in Chriſto vera & realis idiomatum communicatio; nunquam dimittendæ ſunt cautelæ theologicæ, ne qua propoſitio ſenſum hæreticum inducat. Male certe dicitur cum Ubiquiſtis „ *humanitas Chriſti eſt omnipotens, omniſcia, ubique præſens* &c.

XXIX.

Anima Chriſti variis ſcientiarum donis fuit ornata.

Et quidem ſcientia beata fruebatur jam inde a primo conceptionis momento. Hæc quidem perfectior fuit ac in aliis Beatis, non tamen comprehenſiva: gaudebat quoque Chriſtus ſcientia infuſa ab inſtanti creationis, & per proprios actus acquiſita.

XXX.

Chriſtus nunquam peccavit, nec peccare potuit.

1. Hæc immunitas oritur non ſolum ex viſione beatifica, ſed etiam ab unione hypoſtatica, & tanta fuit, ut ne fomes quidem peccati macularit Chriſtum.

2. Humanitas Chriſti libera fuit a coactione, & neceſſitate.

3. Sancta ſanctitate increata Verbi, & gratiæ habitualis plenitudine condecorata.

XXXI.

Dei Filius eo fine naturam assumpsit humanam, ut genus humanum ab æterno liberaret interitu.

1. Quotquot ab Adamo originem trahimus mortales, originalem quoque maculam in eodem contraximus, sola B. V. Maria præservata, indeque perdidimus jus ad gloriam. Peccato originali propria voluntate adjecimus nos alia, nova pæna digni.

2. Debebatur læsæ Dei majestati satisfactio: eam nullus hominum condigne præstare poterat. Cum vero perire nollet Deus opera manuum suarum, misit Filium suum unigenitum, ut ipse sit remedium peccati primo quidem originalis, ac dein etiam actualis.

3. Hoc incarnationis eo fine dispositæ medio sic vindicare scelus voluit justissimus Deus, ut tamen simul divitias misericordiæ suæ ostenderet immensas. Satisfecit igitur divinæ justitiæ Homo-Deus non tantum in metaphorico Socinianorum sensu, quatenus ejus mors ad pœnitentiam nos permoveat, certosque faciat, Deum gratuito nobis peccata remissurum; sed satisfecit vere ac proprie, pœnas peccatis nostris debitas in se suscipiendo ac luendo, sicque exhibitione pretii æquivalentis extinguendo debitum omne, quod erat per illatam Deo injuriam contractum.

4. Mortuus autem est Christus pro redemptione omnium & singulorum, non solum prædestinatorum, sed & reproborum, mortemque obtulit, ut gratias mereretur omnibus ad salutem vere sufficientes; id quod post Calvinum negavit Iprensis.

5. Christi satisfactio non tantum condigna, sed etiam superabundans ex se & infiniti valoris est, adeoque de se sufficiens pro redimendis omnibus etiam possibilibus, imo & damnatis &c. Ex eo tamen male concludunt hæretici, satisfactiones nostras superfluas esse, nulliusque utilitatis opera bona.

XXXII.

Tertia post mortem die Christus surrexit a mortuis, sicque redemptionis humanæ opus plenissime complevit. Post quadraginta dein a resurrectione dies in cælos ascendit, inspectante hominum plurima turba. Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

In illo demum judicio & nos homines resurgemus, audituri in conspectu totius orbis, omnium hominum, Angelorum & Diabolorum

vel

vel ſententiam æternæ damnationis, vel vocationis ad gloriam cæleſtem nunquam terminandam. Tunc patebunt abſcondita tenebrarum, & tam mala quam bona hominum opera cujvis legenda revelabuntur. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum. Etſi vero tunc multi e fine ſuo ultimo Dei viſione ſint excludendi, Deus tamen finem ſuum, quem in creatione hominum omnium ſibi præſtituit, etiam reſpectu horum obtinebit, ſcilicet gloriam ſuam, utpote quæ ei redditur etiam ex juſtitiæ ſuæ manifeſtatione.

DE IIS, QUÆ PERTINENT AD DOCTRINAM IN MATERIA ACTUUM HUMANORUM EX VIRTUTUM PRÆSCRIPTO.

XXXIII.

Bona eſt lex, ſiquis ea legitime utatur. 1. Tim. 1. 8.

1. Lex deſcribitur eſſe ordinatio rationis ad commune bonum, promulgata ab eo, qui curam communitatis habet. Inde fluunt proprietates legis, ſtabilitas, poſſibilitas eam obſervandi, honeſtas materiæ præceptæ, boni publici procuratio ſaltem intenta &c. Diverſe a theologis dividuntur leges, videlicet æterna, naturalis, poſitiva divina & humana.

XXXIV.

Exiſtit lex æterna.

1. Lex æterna eſt actus divinæ voluntatis, jubentis conſervari ordinem rerum conditarum naturalem. Hæc lex mundum regit univerſum, prohibendi imperandique ſapientia. Huic legi ſubjacent omnia creata tam libera quam neceſſaria; hæc demum lex eſt, quæ Chriſtianos & mortales univerſos inducere debet, ut nihil eorum, quæ fiunt, fato evenire, ſed omnia Numinis optimi gubernatione ſapientiſſime ad fines, ab æterno præſtitutos, diſponi exiſtiment; atque adeo ſupernæ providentiæ, quæ legis æternæ executrix eſt, tranquille ſe in omnibus committant.

2. Actiones humanæ morales æternæ legi ſubjiciuntur ex eo, quod, ſi bonæ ſint, ex ejus directione & motu fiant, ſi malæ, prohibeantur: & dum contra voluntatem Dei prohibentem fiunt, incidant in voluntatem juſtiſſime punientem: ſi ex objecto indifferentes vel ſupererogatoriæ, tali vel tali modo fieri debeant, ne evadant malæ, in quantum eas contemnere non poſſimus, & eſſe parati debeamus, ad eas eliciendas, prout vel Dei gloria vel ſalus noſtra vel reipublicæ neceſſitas aut utilitas poſtulant.

3. Ab hac æterna lege naturalis, divina, & humana vim obligandi derivant.

XXXV.

Exiſtit lex naturalis, eaque prorſus immutabilis, ac indiſpenſabilis eſt a Deo vel ab homine.

1. Lex naturalis ab æterna per hoc diſtinguitur, quod afficiat ſolas creaturas rationales, quibus per lumen rationis intimatur. Scripta eſt in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas. S. Aug. L. 2. Confeſſ. c. 4.

2. Hæc lex, cum ſuprema ſit & univerſalis, Reges etiam ac Principes ligat.

3. Ultimatum principium diſcernendi, hoc ne vel iſtud jure naturæ præceptum, vetitum, permiſſumve ſit, conſtituitur in ſanctitate, bonitate, & aliis perfectionibus Dei, quibus actionum materia vel conformis vel difformis eſt.

4. Lex naturæ capitalis hæc eſt: *diliges Dominum Deum tuum ſuper omnia, proximum ſicut te ipſum.*

XXXVI.

Exiſtit lex divina.

1. Lex divina *vetus* continetur in Pentateucho Moyſis, & præcepta moralia, cæremonialia, ac judicialia ſeu politica comprehendit. Sanctitatis omnis plena fuit lex illa, dein per Chriſtum abrogata, & *nova* inducta eſt, qua non præciſe fides, ſed alia tam cæremonialia quam moralia præcipiuntur, ac etiam conſilia proponuntur.

2. Lex antiqua ſecundum ſe deſiit in morte Chriſti; non tamen ſtatim ejus obligatio. Immo poſt promulgatam novam legem adhuc

ſine peccato obſervabatur usque ad annum circiter 40. a Chriſti morte, & obſervata non ſimulate, ſed ſincere fuit ab Apoſtolis & ipſo Petro; ſi tamen Petrus fuit Cephas ille a Paulo reprehenſus. Gal. 2. v. 11.

3. Legis novæ obligatio cæpit ſaltem reſpectu quorumdam die pentecoſtes: ſucceſſive fuit ad plures extenſa, ita, ut ante mortem Apoſtolorum orbis universus ea ſtringeretur.

4. Hæc usque ad finem mundi duratura eſt, ita, ut nequidem Chriſti Vicarius quidpiam valeat relaxare.

XXXVII.

Datur lex humana tam eccleſiaſtica, quam civilis, ſed neutra vel naturali, vel chriſtianæ repugnat hominum libertati.

1. Spectata hominum corruptione neceſſarium plane fuit conſtituere leges.

2. Materia legis civilis ſunt eæ actiones &c. quæ ad felicitatem temporalem conducere poſſunt. Materia legis eccleſiaſticæ non ſunt tantum actus externi variarum virtutum, ſed & indifferentes, ſi neceſſarii vel utiles ſint ad finem, a legislatore intentum, ac bonum ſpirituale fidelium.

3. Circa actus mere internos nunquam directe verſatur lex humana civilis: nec, ſi res bene perpendatur, pure eccleſiaſtica.

XXXVIII.

Jus dicendi leges civiles eſt penes Imperantem civilem, jus ferendi leges eccleſiaſticas penes Pontificem & Epiſcopos, ita, ut nec Principes politici ſtatuere leges eccleſiaſticas nec eccleſiaſtici politicas valeant.

1. Poteſtas Imperantium civilium a Deo ut authore naturæ deſcendit.

Jurisdictio etiam eccleſiaſtica non tantum Pontifici, ſed etiam Epiſcopis immediate conceſſa fuit a Chriſto Deo, ut authore legis gratiæ.

2. Magiſtratus politici titulo advocatiæ in eccleſiaſticis id agere poſſunt, quod officii hujus jura indulgent. Nec, ſi res exigit, reſpui poteſt moderatus, & cum pace conjunctus Placiti Regii uſus in rebus diſciplinaribus.

3. Juris-

3. Jurisdictio ſpiritualis & civilis in una etiam perſona eccleſiaſtica convenire poſſunt.

4. Legem obſcuram authentice interpretatur ipſe legislator, aut etiam conſuetudo. In interpretatione legum ſimplici attendenda eſt mens legislatoris, verborum proprietas, & ratio legis.

XXXIX.

Nulla actionum noſtrarum humanarum eſt, quam non dirigat lex aliqua.

1. Actio humana dicitur illa, quæ a voluntate procedit ex prævia cognitione finis, & aliarum circumſtantiarum ad actionem pertinentium.

2. Voluntaria vel in ſe, vel in cauſa poteſt eſſe actio humana. Effectus non cenſetur voluntarius in cauſa, ſi ſit mere prævisus, vel ſimpliciter cum cauſa tantum connexus; ſed inſuper requiritur, ut detur lex, non ponendi cauſam, ex qua prævidetur ſequi effectus, vel poſitam removendi. Talis lex adeſſe judicatur tunc, quando nulla eſt neceſſitas, utilitas, aut ratio ponendi cauſam.

3. Abſoluta violentia ab actione humana tollit rationem voluntarii, non autem metus, nec paſſio.

XL.

Quivis homo etiam in ſtatu naturæ lapſæ gaudet libertate indifferentiæ, qua ſuas actiones legi præcipient; aut prohibenti vel conformare vel non conformare poſſit.

1. Ipſæ leges libertatem indifferentiæ non elidunt ſed malum duntaxat ejus uſum reſtringunt.

2. Præſentia gratiæ liberum hominis arbitrium adeo non interimit, ut per eam potius perficiatur, ac ſaltem ſufficiens, etiam requiratur ad eſſe meritorium actionis humanæ.

3. Scientia quoque Dei plane relinquit intactam libertatem.

4. Eſt autem libertas indifferentiæ non ſolum immunitas a coactione, ſed & a neceſſitate, nec tantum indifferentia judicii, ſed & arbitrii. Ut perfecta detur libertas, ſufficiens debet adeſſe ad legem advertentia. Sufficientem advertentiam credimus etiam eam, quæ eſt in cauſa,

XLI.

Actiones humanæ vel bonæ, vel malæ ſunt, vel indifferentes, prout nempe cum lege conſentiunt, vel ab ea diſſentiunt, vel permittuntur.

1. Actio ex objecto bona vitiàri poteſt per circumſtantiam malam: quæ ſi venialiter mala ſit, actionem non penitus depravat, niſi ipſum opus bonum aſſummatur ceu purum vanitatis medium.

2. Ex fine operantis nulla actio humana mere indifferens eſt, ſed omnes ad honeſtatem ſaltem naturalem ſunt dirigendæ, & implicite ad Deum tanquam finem ultimum naturalem. Sanctiſſimum eſt conſilium, ut homo ſuas actiones ad Deum tanquam finem ſupernaturalem referat. Id vero tolerandum non eſt, omnes actus noſtros, ne in peccatum degenerent, a charitate proficiſci debere.

XLII.

Prima actionum humanarum regula eſt lex æterna, immediata autem regula ex propria cujusvis conſcientia habetur.

1. Actio quidem moralis inhoneſta fit aliquando, etſi nullum præcedat dictamen conſcientiæ de ejusdem inhoneſtate. Honeſta tamen nunquam eſt actio, quæ non ponitur cum judicio, affirmante, eam hic & nunc eſſe honeſtam. Hoc judicium non evidens, ſed ſtricte vel late moraliter certum eſſe debet; mere probabile non poteſt eſſe.

2. Agendi ſecundum conſcientiam invincibiliter erroneam facultas, immo quandoque obligatio eſt.

3. Ubi de licitate actionis quæſtio vertitur, opinionem probabiliſſimam aut inſigniter probabiliorem etiam minus tutam recte poſſumus ſequi. Probabiliorem vero magis tutam tenemur ſequi in conflictu minus probabilis, ſimulque minus tuta. Cum momenta rationum expendenti utrinque ſunt æqualia, ad partem ſecuriorem, quæ pro lege ſtat, quis adſtringitur. Nec laxam, nec ſcrupuloſam conſcientiam prudenter unquam ſequimur.

XLIII.

XLIII.

Leges omnes poſt ſufficientem earum promulgationem ſervandæ ſunt ab omnibus & ſingulis in conſcientia ſub levi vel gravi peccato.

1. Promulgatio legum tam neceſſaria eſt, quam juſte obedientiam legibus ſuis debitam exigunt imperantes. Leges civiles promulgantur in ſingulis provinciis imperii romani, aut prætoriis diſtrictibus. Lex eccleſiaſtica regulariter promulganda eſt in ſingulis diœceſibus. Legem naturæ promulgavit Deus cujusvis rationi recte conſtitutæ.

2. Inanis eſſet poteſtas legumlativa, ſi acceptatio ſubditorum requireretur ad valorem legis tam civilis, quam eccleſiaſticæ; hinc peccat populus non acceptando legem. Ut tamen lex ſtabiliatur, ſuoque in robore permaneat, nec actibus contrariis in deſuetudinem abeat, aut legitima conſuetudine abrogetur, actualis obſervatio accedat, neceſſe eſt.

3. Hæretica & peſſima pro moribus eſt doctrina Wiccleffi & Huſſii, qui legislatoribus improbis obedientiam eſſe negandam, perſuadere conati ſunt. Tam probis quam improbis obedire debent ſubditi omnes, etiam probi, ubi nihil præcipitur improbi. Legibus eccleſiaſticis ſubjiciuntur omnes Chriſtiani, etiam Reges ac Principes; legibus civilibus ſubditi cujuslibet Principis, etiam Clerici in iis, a quibus per immunitatem veram non eximuntur. Ipſe legislator ex æquitate naturali tenetur propriis legibus. Peregrini & vagi non obligantur legibus particularibus ſui domicilii extra domicilium, niſi ſorent leges perſonales; ſed cavendum, nequid in fraudem committatur. Obligantur autem peregrini & vagi ſtatutis loci, quæ ratione territorii, non item ſtatutis perſonalibus, quæ ratione incolarum ſeruntur.

4. Si dentur leges pænales, etiam iſtæ obligant in conſcientia ſaltem ad pænam, non tamen ordinarie ad eam ſubeundam ante ſententiam judicis vel condemnatoriam vel declaratoriam.

5. Lex fundata in præſumptione falſa facti non obligat: obligat vero fundata in præſumptione juris ſeu periculi univerſalis, etſi pro caſu particulari periculum non ſubſiſtit.

6. Lex ſimpliciter irritans irritat pro foro tam interno, quam externo.

7. Leges

7. Leges imponentes tributa & vectigalia justa sub peccato sunt observandæ: in dubio de earum justitia præsumptio stat pro principe.

8. Quod si quis legem qualemcunque invincibiliter ignoret, eam violans excusatur a culpa in conscientia: in foro tamen externo ignorantia juris manifesti plerumque non toleratur. Advertendum vero est, nullam posse dari ignorantiam invincibilem primorum principiorum legis naturæ, aut eorum etiam, quæ ex primis immediate deducuntur discursu facili & obvio.

9. Qui legem implere non potest, aut ab ea, saltem humana, implenda per metum cadentem in virum constantem impeditur, ejus obligatione non stringitur.

10. Ignorantia vincibilis prævaricatorem a peccato nunquam liberat, immo ipsa peccatum est: & alia ignorantiæ peccata sunt, quæ videlicet ex ea consequuntur.

XLIV.

Legislator civilis trangressores legum recte punit; & ecclesiasticus executionem legum per censuras urgere potest.

1. Censura est pæna ecclesiastica & medicinalis, per quam baptizatus, si graviter delinquat & contumax in delicto maneat, usu quorumdam bonorum spiritualium privatur; id quod fit excommunicatione, suspensione, interdicto, depositione, degradatione &c.

2. Quodsi lex obligare cessavit, nec prævaricatio nec pæna locum habere potest. Cessat autem lex, dum superior ipse, vel consuetudo contraria eam abrogat: dum finis legis totaliter extinguitur: dum sine ob-vel subreptione dispensatur legitime.

XLV.

Actiones humanæ regulis morum difformes, sunt peccata.

1. Definit S. Aug. L. 22. contra Faustum c. 27. peccatum, quod sit *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Peccatum est materiale vel formale. Ad peccatum non spectant motus primo-primi.

2. Omne peccatum est vera offensa Dei, ut adeo nullum detur mere philosophicum.

3. Author peccati ſolus homo, nunquam Deus eſt: nec illud vult Deus, nec præcipit, nec hominum voluntates ad illud perpetrandum movet.

4. Reatum culpæ a reatu pœnæ diſtinguimus in peccato.

XLVI.

Peccatum, ut a peccante procedit, eſt vel originale vel perſonale.

1. Peccati originalis rei ſumus homines omnes. Male ab eo immunes pronunciavit fidelium liberos Calvinus: nos recte excipimus B. V. Mariam.

2. Credimus quidem contra Lutherum, peccati originalis eſſentiam formaliter non conſiſtere in concupiſcentia: quid tamen hoc peccatum demum ſit, quave ratione nobis etiam commune factum ſit, explicare plane non poſſumus, nec quidquam ab eccleſia definitum ſcimus.

XLVII.

Peccatum, ut ſecundum ſuam naturam conſideratur, eſt mortale, vel veniale.

1. Igitur male aſſeruit Jovinianus, peccata eſſe æqualia, nec unum majus altero. Inæqualitatis ratio non petenda eſt ex mera Dei vel imputantis vel non imputantis miſericordia, ſed in eo conſtituitur, quod transgreſſio opponatur legi, gravius vel levius præcipienti, aut prohibenti.

2. Etiam fideles in peccata mortalia labi poſſunt: nec omnia infidelium ſunt mortalia, quod Lutherus docuit. Imo contra Wiccleffum ne electis quidem privilegium concedi, poteſt venialiter tantum peccandi. Nec adeo deprimendi ſunt reprobi, ut omnia eorum peccata gravia eſſe exiſtimentur.

3. Peccata venialia, quantumvis multiplicata, mortale conſtituere non poſſunt, ſed tamen ad id diſponere. Quod ex ſe eſt veniale, poteſt tranſire in mortale ex formali contemptu legis; & quod eſt ex ſe mortale, in veniale tranſire poteſt ex errore invincibili conſcientiæ, defectu advertentiæ, parvitate materiæ.

XLVIII.

XLVIII.

Peccati veſtigiis inſiſtit pœna.

1. Pœnæ peccati originalis ſunt jactura originalis juſtitiæ, excluſio a regno cælorum, ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiſcentia in appetitu delectabili, infirmitas in appetitu iraſcibili, dolores, morbi, miſeriæ hujus vitæ, mors, captivitas ſub poteſtate diaboli, permiſſio facta dæmoni nos tentandi, nobis nocendi in hac vita & in altera cruciandi, crudelitas hominum, rebellio beſtiarum, & reliqua omnia mala, quæ a terra, cœlo, mari, & elementis patimur.

2. Perſonale peccatum grave damni & ſenſus pœnam potiſſimum inducit, & quidem ſempiternam.

3. Veniale ſubjicit pœnæ temporali, luendæ, ſi in hac vita non fuerit expuncta, in flammis purgatoriis alterius vitæ.

XLIX.

Gratia liberat a peccato.

1. Intelligitur nomine gratiæ donum ſupernaturale, creaturæ rationali gratis a Deo conceſſum, & ad ſalutem æternam ordinatum. Notiſſima & rectiſſima eſt partitio gratiæ in habitualem & actualem.

2. Gratia habitualis ſanctificans liberat a peccato originali. Erravit Lutherus, qui gratiam habitualem favorem Dei mere extrinſecum eſſe dixit, & juſtitiam tantum imputatam. Eſt enimvero donum homini intrinſecum, & in eo phyſice perdurans. Confertur hæc gratia in baptiſmo fluminis, flaminis, aut ſanguinis.

3. Gratia habitualis ſanctificans juſtificat a peccato perſonali. Quamvis Chriſtus pro nobis ſatisfecerit, tamen ut ipſam juſtificationem conſequamur, nos quoque noſtras oportet adferre præparationes, & quidem præprimis fidem, quæ tamen non eſt ſpecialis promiſſionum fides in ſenſu Lutheri. Requiſitas diſpoſitiones ubi poſuerit homo: tunc ei vere remittuntur peccata, & ipſi interius formaliter renovatur, ita, ut juſtitia inhæreat ipſi, quæ tamen in diverſis hominibus inæqualis eſt, imo in eodem homine creſcere poteſt, & denuo amitti.

4. Gratia ſervat a peccato committendo, & juvat ad bonum perficiendum. De gratia actuali intelligitur hæc aſſertio, quæ ſufficiens

vel efficax eſt. Neceſſaria prorſus eſt gratia, etiam juſtis ad agendum ſalutariter: imo & ad initium fidei & pium credulitatis affectum. Quid ergo lapſus homo ſuisque relictus viribus poterit? Poteſt talis homo cognoſcere absque gratia veritates quasdam naturales ſpeculativas & practicas, & perficere opus bonum aliquod morale ordinis mere naturalis, & quidem, contra Bajum & Janſenium, ſive talis homo fidelis, ſive infidelis ſit, poteſt amare Deum, ut autho-rem naturæ, amore quodam imperfecto: totam vero legem naturalem ſervare diu ſine gratia, vincere tentationis gravioris impetum, aut poſt acceptum juſtificationis donum ad finem usque perſeverare, vitare omnes noxas veniales non poteſt; immo neque ullam mereri gratiam de condigno, neque ad eam poſitive ſe diſponere poteſt homo. Gratia ſufficiens eſt auxilium Dei ſupernaturale, reddens hominem in præſentibus circumſtantiis expeditum ad faciendum opus bonum, ac ommittendum malum. Hoc auxilium dat non tantum poſſe operari, ſed etiam ſufficit, ut homo cum ea ponat opus ſaltutare: quod ſi non fiat, id nec naturæ gratiæ ſufficientis, nec Deo, ſed hominis cum gratia libere nolentis operari adſcribendum eſt voluntati. Tales dari gratias fide inſtruimur; quæ nihilominus inter beneficia Dei numerandæ veniunt, etſi nolit iis uti homo ad ſuum bonum. Gratia ſufficiens conceditur omnibus juſtis urgente præcepto, quod ſine gratia non poteſt impleri. Peccatoribus etiam excæcatis & obduratis non deeſt gratia ſufficiens ad agendam pœnitentiam, & cordis duritiem deponendam. Eadem gratia ſufficiens datur omnibus infidelibus ad fidem & juſtificationem obtinendam; an in ſecretioribus divini conſilii arcanis diſpoſitum ſit, quibusdam peccatoribus in pœnam negare gratiam ſufficientem, viderint illi, qui hoc docent. Gratiam efficacem theologi dicunt auxilium tale, quod effectum, ad quem datur, infallibiliter poſt ſe trahit, tales a Deo concedi hominibus gratias eſt dogma in eccleſia receptum contra reſuſcitatam a Calvino doctrinam. Hujus gratiæ efficacia male explicatur per delectationem cæleſtem victricem, & terreſtri ſuperiorem in ſenſu, qui tribuitur Janſenio.

L.

Actiones humanæ, regulis morum conformes, ſunt actiones virtutis.

Virtutes vel theologicæ, vel morales ſunt. Ad theologicas ſpectant fides, ſpes, charitas: ad morales prudentia, juſtitia, temperantia,

tia, fortitudo, & aliæ iis annexæ. Theologicæ pro objecto immediato materiali primario Deum, & perfectionem divinam pro motivo formali habent: morales bonitatem quamdam moralem, & in formandis hominum moribus occupantur.

LI.

Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.

1. Primarium fidei objectum materiale Deus eſt, ſecundarium alia revelata, per Eccleſiam propoſita, ſive dein ſint ſcripta ſive tradita. Quæ in ſpecie credenda ſunt, continentur in ſymbolo Apoſtolorum: in ſymbolo conſtantinopolitano: in ſymbolo, quod S. Athanaſio adſcribi ſolet: & in profeſſione fidei, quam Pius IV. in conc. trid. c. 12. de Reform. ſeſſ. 24. tenendam propoſuit. Revelationes privatæ fidem theologicam privatam poſcunt, non catholicam ab omnibus, etſi ex juramento etiam a particularibus, quibus factæ ſunt, firmentur.

2. Motivum formale fidei eſt authoritas ſumma Dei loquentis, quæ ex prædicatis ſapientiæ & veracitatis exſurgit. Actui fidei falſum ſubeſſe non poteſt: imo ſumma eſt certitudo fidei. Aſſenſus fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem non ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis: nec cum formidine, qua quis formidat, ne non locutus ſit Deus. Judicium igitur ſpeculativum & practicum moraliter certum de revelationis exiſtentia requiritur ad actum fidei; & inſuper pia affectio, ſeu imperium voluntatis immediatum ac directum.

3. Fides ad ſalutem eſt neceſſaria. Quorumdam fides articulorum explicita neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem adeo eſt, ut ne invincibilis quidem ignorantia ſuffragari valeat. Hi articuli ſunt de Deo exiſtente, eoque remuneratore ſupernaturali &c. & practice de myſterio incarnationis ac redemptionis. Horum fides ſtricta debet eſſe & formalis, atque eorum ignarus incapax eſt abſolutionis ſacramentalis. Alii articuli præcepti neceſſitate ſunt neceſſarii, quorum tamen aliquos explicite noſſe debent mortales, videlicet ſymbolum Apoſtolorum, præcepta Dei & Eccleſiæ, ſacramenta &c. quibus adjungi ſolent oratio dominica, modus formandi crucem.

4. Sæpius ~~in menſe~~ eliciendus eſt actus fidei, nec ſufficit illa myſteria credidiſſe ſemel. Cederet omnino in contemptum divinæ

authoritatis, ſi quispiam hominum quovis tempore de ullo articulo dubitaret, eive diſſentiret. Nondum vero chriſtiani hominis partes implevit, qui tantum non hæſitat in rebus fidei aut non contrarium ſentit: ſed ſæpius ~~in menſe~~ eliciendus eſt actus fidei circa præcipua myſteria: & quidem, dum fides catholica ſufficienter propoſita eſt infidelibus, hæreticis, & iis, qui in infantia baptizati uſum rationis attigerunt, in probabili mortis periculo; dum pulſat gravis tentatio contra fidem, non aliter ſuperanda: dum quis in hæreſin vel dubitationem voluntariam circa fidem eſt lapſus; ſi quis præceptum a præcepto fidei diverſum ſine actu fidei non poteſt implere: ſi facienda eſt profeſſio fidei externa de præcepto ante vel poſt S. Synaxis ſumptionem, & abſentibus his caſibus ſæpius. Quo tamen in puncto nimis accurati ſunt illi theologi, qui ſine diſcrimine pro ſingulis hominibus determinant vel annum, vel menſem, vel ſeptimanam, vel dies feſtos. Exterius ejurare fidem, tametſi ſervetur in corde, prohibitum eſt ſemper; nec fas eſt unquam, falſam religionem externis ſimulate exercere ad veram & chriſtianam occultandam.

5. Fidei non opponuntur omnia peccata. Amiſſa per peccatum gratia remanet fides, niſi quis committat peccatum infidelitatis.

LII.

Spes theologica, quæ eſt deſiderium efficax & fiduciale, quo a Deo beatitudinem æternam & illius aſſequendæ media expectamus, a fide & charitate diſtinguitur.

1. Primarium objectum materiale ſpei eſt Deus, ut poſſidendus per intuitionem & amorem, ſecundarium objectum ſunt bona ſupernaturalia beatitudini ſubordinata, imo etiam naturalia ac temporalia, in quantum conducunt ad beatitudinem obtinendam. Utrumque bonum, naturale ac ſupernaturale, recte a Deo petitur: nec placere poteſt nobis nimis indifferens ad omnia quies Michaelis de Molinos.

2. Objectum formale ſpei, prout dicit formalitatem deſiderii, eſt bonitas reſpectiva Dei: prout dicit erectionem animi, eſt virtus Dei auxiliatrix: prout dicit fiduciam, eſt fidelitas Dei in promiſſis, ſeu omnipotentia & miſericordia Dei per promiſſionem obligata.

3. Spes non confundit. 2. Tim. 1. Ratione ſui certa eſt ſpes, non tamen excludit in ſperante omnem timorem amittendi ſummi Bo-

ni:

ni: imo nullus in hac vita datur ſtatus perfectionis, in quo actus ſpei theologicæ aut locum non habeat, aut neceſſarius non ſit.

4. Spes ad ſalutem neceſſaria eſt adultis. Sine ſpe ſalutis & veniæ impoſſibile eſt conſequi ſalutem. Habemus etiam divinum mandatum, ſæpius in vita eliciendi ſpem. Obligatio hæc urget iisdem fere temporibus cum proportione, ſicut obligatio fidei.

5. Spem elidit deſperatio. Deſperatio, qua ſpes omnis & media conſequendæ beatitudinis abjiciuntur, graviſſimum peccatum eſt, aliquando cum hæreſi conjunctum. Nullius hominis deſperandam eſſe ſalutem, inſtruimur ex conſideratione infinitæ bonitatis Dei, ejusdemque fidelitatis, ex parabolis de ove perdita, filio prodigo, & Diſma ad latus Crucifixi moriente. Præſumptio quoque per exceſſum opponitur ſpei, dum beatitudo aliis obtinenda mediis præſummitur, quam quæ Deus ordinavit, ſcilicet viribus propriis Pelagianorum, aut lutherica in meritis Chriſti fiducia. In reliquis peccatoribus, qui non deſperant, nec præſummunt, ſpes non tantum manet, ſed etiam ad juſtificationem diſponit.

LIII.

Major autem horum eſt charitas, 1. cor. 13. *quæ eſt vinculum perfectionis*. col. 3.

1. Charitas eſt virtus, qua Deum propter ſe & cætera propter Deum diligimus. Quantumvis intenſa ſit charitas, nunquam tamen in hac vita talis eſſe poterit, ut non valet ulterius progredi, & per alios actus etiam remiſſos augeri. Charitas amitti poteſt, & amittitur quolibet peccato mortali. Primaria diligere Deum debemus, dein noſmetipſos, ac denique proximum & cætera. Hoc objectum charitatis materiale, formale iterum Deus eſt, propter ſuam bonitatem & amabilitatem diligendus. Ex eodem motivo diligendus eſt proximus, ut ſcilicet in Deo ſit, eique tanquam fini ultimo inhæreat, indeque Deus ametur, laudetur, ac glorificetur propter ſuam infinitam bonitatem.

2. Deus eſt diligendus ſuper omnia ex toto corde, & tota mente &c. Amor Dei ut verus ſit, extenſionem requirit; non tamen intenſionem ſuper omnia, ſeu maximam. Amor hujus vitæ non eſt benevolentiæ purus, talis tamen eſſe poteſt, ſi intenſus ſit, & tam in adverſis quam proſperis ita ſe voluntati Dei conformet homo, ut nihil

hil nisi Deum velit & propter Deum, semperque eligat id, quod est perfectius. Non tenemur omnia ex charitate facere, imo intuitu retributionis æternæ servare legem, opera bona præstare non repugnat charitati, si tamen merces non sit finis principalis. Qui semel tantum in vita, aut non nisi singulis quinquenniis actum dilectionis eliceret, graviter peccaret. Sæpius igitur datur obligatio.

3. Post Deum diligendus est proximus eo quidem modo, sicut nos ipsos diligimus. Nemo proximior est, quam nosmet ipsi nobis. Unde regulam diligendi proximi a semetipso dilector accipit. Præcepto diligendi proximum non possumus satisfacere per actus solos internos, sed externi etiam præcipiuntur. Diligendi sunt etiam peccatores. Ordo servandus in charitate hic est, primo diligimus nos secundum bona spiritualia; dein diligi debet proximus circa bona spiritualia; tandem diligimus nos circa bona corporis; dein proximum circa eadem; ultimo nos & proximum circa bona externa. Præprimis diligendi sunt parentes, præpositi, conjuncti &c.

4. Præcipuus actus charitatis in proximum est eleemosyna tam spiritualis quam corporalis: ad utramque stricta lege tenentur ii, qui possunt exhibere. Eleemosyna opus est, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum. Ad corporalem eleemosynam pertinet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recipere hospitem, visitare infirmum, sepelire mortuum. Ad hæc officia obligantur illi, qui præstare possunt, abundantes, & præsertim clerici. Condemnata est propositio: *vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Eleemosynæ spiritualis actus sunt, ignorantes docere, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare patienter onerosos, pro omnibus orare.

5. Charitatis præceptum obligat ad omnia ea omittenda, quæ dilectioni opponuntur. Charitati opponitur odium Dei, quod sane peccatorum horribilissimum est, & proximi; inde grave peccatum sunt abominationes, imprecationes, maledictiones in propriam vel proximi personam prolatæ. Charitati opponitur acedia, quæ est tædium & tristitia de bono divino in nobis participando cum labore & difficultate. Charitati opponitur invidia, qua de bono alterius doletur ut malo proprio. Charitati opponitur scandalum, dum dicto vel facto minus recto præbetur alteri occasio ruinæ spirtuali. Charitati opponuntur discordia, contentio, detractio, schisma.

LIV.

Virtutes morales ſine charitate poſſunt acquiri: perfectæ ſine charitate non poſſunt eſſe.

Inter virtutes morales præcipuæ ſunt cardinales, prudentia, juſtitia, temperantia, fortitudo. Prudentia intellectum, juſtitia voluntatem, fortitudo appetitum iraſcibilem, temperantia appetitum concupiſcibilem intra terminos honeſtatis continet.

LV.

Virtutum moralium veluti regina prudentia eſt.

1. Prudentia apud S. Baſil. hom. 12. ad pop. eſt vera eorum, quæ agenda vel non agenda ſunt, cognitio.

2. Ex hujus defectu omnia peccata oriuntur; ſicut & ii errant, qui repudiant ſanum conſilium, aut divina documenta. Peccari etiam poteſt præcipitatione, inconſideratione, inconſtantia, negligentia.

3. Per exceſſum prudentiæ contraria eſt prudentia carnis, quæ *mors eſt*, *inimica Deo*, *legi Dei non ſubjecta*. Rom. 8. Aſtutia, fraus, & dolus, nimia ſollicitudo circa res temporales, quæ mentem avocat a bonis cæleſtibus, & diffidentiam in bonitate Dei producit.

LVI.

Fortitudo cuilibet homini neceſſaria eſt adverſus fidei & pietatis hoſtes.

1. Fortitudo eſt, qua animus erga acerba & terribilia recte ſe habet, ut nec prave timendo, nec temere audendo ab officio deſciſcat & lege. Fortitudinis eſt ſtare in periculis, quibuscum in ſingula momenta conflictamur. Fortitudini opponuntur timiditas & ignavia, ſtupiditas & audacia.

2. Homo fortis facit ea, quæ ſunt honore digna, non tamen ſic, ut pro magno æſtimet honorem humanum. Animus ita comparatus virtutem dicitur habere magnanimitatis, quæ fortitudini eſt annexa, quamque tollit ambitio. *Non* igitur *efficiamur inanis gloriæ cupidi*. Gal. 5. quæ verum peccatum eſt. Lethalis etiam peccati ſe reos faciunt, qui de peccato gravi commiſſo gloriantur aut laudari amant: qui bo-

num temporale, de quo gloriantur, præferunt Deo: qui teſtimonium hominum anteponunt teſtimonio Dei: qui neceſſarium virtutis officium prætermittunt, aut Deo ad perfectionis vitæ genus interius vocanti non obediunt, & varias hominum rumores, judicia, ac vituperium metuentes *dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei* Joan. 12. Huc referri debent jactantia, & hypocriſis, & per defectum puſillanimatas.

3. Fortis homo mala tolerat æquo animo, ne bona deſerat iniquo. Patientiæ virtutem fortitudini affixam exercet homo, quem adverſa non frangunt. Patientiam habere quivis Chriſtianus obligatur. Opponitur patientiæ durities per defectum, dum quis nec alienis nec propriis miſeriis movetur: & per exceſſum impatientia, quæ non raro ad gravia peccata ducere ſolet.

4. Qui perſeveraverit in finem bene agendo, veram exercet fortitudinem. Conſtantia & perſeverantia in bono morali tanta eſt opus, ut nec vita æterna ſine his obtineri valet. Vitandi ſunt ergo defectus inconſtantiæ, & exceſſus pertinaciæ.

LVII.

Temperantia voluptates corporis & animi moderatur. Ejus ſpecies ſunt abſtinentia, ſobrietas, caſtitas: virtutes annexæ clementia, manſuetudo, modeſtia, humilitas, ſtudioſitas, jucunda urbanitas.

1. Jejunium actus bonus eſt, ſive ſponte ſuſcipiatur, ſive ab eccleſia præcipiatur. Ut præceptum jejunium ſervetur, abſtinendum eſt vel a carnibus ſolum, vel a carnibus & ſimul ſecunda refectione. Potus non nutritivus nunquam obeſt jejunio: frequentiores tamen modicæ commeſtiones coaleſcunt in quantitatem gravem nutritionis & peccati. Abſtinentiæ gula opponitur, ſeu immodica in cibo & potu delectatio. Nunquam licet commedere & bibere ob ſolam voluptatem. Ebrietas quoque grave peccatum eſt, per ſobrietatem corrigenda.

2. Caſtitas virtus eſt Deo acceptiſſima, & ab eo præcepta. Bona eſt virginitas & matrimonio melior. Luxuria caſtitati obeſt, tam quidem graviter, ut nulla in ea detur materiæ parvitas. Omnes luxuriæ ſpecies, etiam deſideria ſolum interna, prohibentur.

3. Manſueti hæreditabunt terram. Pſ. 36. Manſuetudo cohibet iram. Ira peccatum eſt, & eo quidem gravius, quo fluunt ex ea ſequelæ deteriores.

4. Cle-

4. Clementia præparat vitam. Prov. 11. 19. Clementia pænas moderatur, ita tamen, ut juſtitiæ fiat ſatis, læditur virtus hæc crudelitate, quæ pænas exigit ultra meritum culpæ: & ſævitie, quæ hominum cruciatu delectatur. Clementia quoque violatur lenitate, dum pænæ ex legum præſcripto ſubeundæ contra rationis dictamen vel mitigatur vel remittuntur.

5. Modeſtia noſtra nota ſit hominibus omnibus. Modeſtia corporis geſtus externos ad rationem componit. Ruſticitate & petulantia deſtruitur modeſtiæ virtus.

6. Humilitas virtus eſt, qua homo veriſſima ſui agnitione ſibi ipſi vileſcit. S. Bernard. Tract. de grad. hum. Humilitas hominem ſubjicit homini, & Deo: ſic tamen conſtituta debet eſſe, ut non admittat nimiam ſui abjectionem cum contemptu vel neglectu proprii muneris, & damno eorum, quibus aliquis præeſt. Plurimum adverſatur humilitati ſuperbia, quæ propriæ appetitus excellentiæ, *& omnis peccati initium eſt.* Eccl. 10.

7. Studioſitas ſtudium cognitionis acquirendæ dirigit. Quæ diſcuntur, ad ædificationem diſcenda ſunt. Id diſcendum prius, quod maturius ad ſalutem: id ardentius, quod vehementius ducit ad amorem. Per negligentiam peccant, qui non addiſcunt ea, quæ cujusvis officia poſtulant. Curioſitate errant, qui nimium volunt ſapere, altiora ſe inquirunt, inutilibus occupantur & ſtatui non congruis, & ex iis, quæ diſcunt, ad clariorem Dei cognitionem pertingere non curant.

8. Jucunda urbanitas ludorum & jocorum ſecundum rectam rationem moderatrix eſt. Decet interdum ſapientem remittere aciem rebus agendis intentam. S. Aug. l. 2. de Muſic. c. ult. Laudari non merentur, qui ſua animi auſteritate ac moroſitate & ſibi & aliis honeſtatem relaxationem interdicunt. Excedunt vero etiam ii, qui illiberales, immodeſtos, petulantes, contumelioſos, flagitioſos, aut obſcænos ſpargunt jocos, aut modeſtos debito loco & tempore non uſurpant.

LVIII.

Juſtitiæ officia ſunt reddere omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Rom. 13. *quæ cæſaris, cæſari, quæ Dei, Deo.* Matth. 12.

LIX.

Dominii capaces ſunt omnes & ſolæ creaturæ rationales, etiam infantes & amentes: & contra Wiccleffum peccatores quoque ac infideles.

1. Si objectum dominii conſideretur, non omnis res ſub cujuslibet hominis dominium ſemper perfecte cadere poteſt.

2. Quivis hominum dominium habet ſuæ famæ, ſed aliquando ita ligatum, ut non poſſit detractori remittere obligationem reſtituendæ famæ, quæ læſa eſt.

3. Bonorum caſtrenſium dominium competit filiofamilias.

4. Aliquorum etiam bonorum dominium habet maritus, & uxor paraphernorum.

5. Communitates religioſæ plurimæ dominium bonorum temporalium tam mobilium quam immobilium habent. Religioſi vero ſolemniter profeſſi in particulari tale dominium habere non poſſunt.

6. Clerici ſunt domini bonorum & fructuum beneficialium: obligantur autem ſuperflua in pias cauſas expendere.

7. Homo alterius hominis dominus eſſe poteſt, ita, ut liceat eum efficere ſervum.

8. Vitæ propriæ dominium tale non habet homo, ut valeat ſeipſum authoritate ſua directe occidere. Suorum tamen membrorum dominus eſt homo in tantum, ut ſe directe poſſit mutilare, ſi id exigat conſervatio ſui.

9. Nemo hominum dominio in vitam alienam gaudet, ut innocentem poſſit occidere. Authoritate tamen publica magiſtratuum malefactores poſſunt occidi directe. Aliquando ex graviſſima cauſa permittitur indirecta innocentis occiſio. Vitam propriam quilibet juſte defendit defenſione occiſiva aggreſſoris injuſti, modo ſervet moderamen inculpatæ tutelæ. Directa procuratio abortus pro omni caſu injuſta eſt. Injuſte agit, qui iniquum invaſorem bonorum fortunæ, famæ, aut honoris perimit. Duellum quoque prohibitum eſt, quod ad res temporales ſervandas, officium honorificum tetinendum, ignominiam avertendam authoritate privata celebratur.

LX.

Rerum & dominiorum diviſio juſte fuit introducta, & jam ante diluvium obtinuit.

1. Rerum diviſarum dominia certis modis acquiruntur, nempe occupatione, acceſſione, præſcriptione, & contractu.

2. Res derelictæ, & quæ ſub nullius dominio fuerunt, fiunt primo occupantis. Bona vacantia laicorum communiter cedunt fiſco, peregrinorum mobilia cauſis piis applicantur, vacantia Clericorum devolvuntur ad eccleſiam, cui ſervierunt, niſi aliud fieri debeat ex ſpecialibus locorum ſtatutis, aut conſuetudine.

3. Circa theſaurum inventum obſervandum eſt jus commune, & patrium.

4. Bona incerta ſive ex delicto, ſive ſine delicto, non poſſunt a detentore ſervari; ſed ubi poſt ſufficientem inquiſitionem non comparuerit dominus, ſunt eroganda in pauperes, vel alias pias cauſas.

5. Qua ratione per acceſſionem, uſucapionem, & contractum acquiratur dominium, ſolertius inveſtigant jurium cultores.

LXI.

Qui jus alterius violavit, peccat contra juſtitiam, teneturque in conſcientia læſum jus reparare per damni reſarcitionem ac reſtitutionem.

1. Peccari in juſtitiam poteſt lædendo in bonis animæ, vi aut fraude lædendo in bonis corporis occiſione aut mutilatione: lædendo in bonis famæ & honoris, detractione, contumelia &c. lædendo in bonis fortunæ per furtum &c.

2. Hiſce in rebus qui damnum infert, illatum compenſare debet. Sola tamen nocendi intentio interna non inducit obligationem reſtituendi, etſi actio externa ſit damnoſa, modo non ſit damnoſa ratione malæ intentionis. Obligatur e contra ad damni reparationem errans in perſona læſi.

3. Obligatio reſtitutionis oritur ex re accepta, vel injuſta acceptione vel ſpeciali contractu.

4. Res eſt reſtituenda a quocunque detentore. Si poſſeſſor eſt bonæ fidei, ante completam præſcriptionem debet reſtituere cum re

† ſimul fructus naturalis, & mixtos formaliter exſtantes, deductis tamen expenſis neceſſariis, imo etiam virtualiter exſtantes; quæ poſitio quoad ultimam hanc partem in jure naturæ fundata, de jure poſitivo communi controverſa, in Codice Bavarico Maximilianeo p. 2. c. 2. §. 10. deciſa eſt. Poſſeſſor malæ fidei tenetur cum re reſtituere tam fructus conſumptos, quam illos, quos Dominus percepiſſet ordinaria induſtria, etſi eos malæ fidei poſſeſſor non perceperit.

5. Qui alium fraudibus, mendaciis, vi aut metu impedit a conſecutione boni ex juſtitia quidem non debiti, licite tamen conferendi, obligatur ad compenſationem tanti, quanti valebat ſpes boni: is vero ad nihil obligatur, qui etiam mendaciis impedit a conſecutione boni, quod non poteſt accipi ſine injuſtitia.

6. Qui metu, fraude &c. alios ad peccatum induxit, aut a virtutis actione retraxit, tenetur ex juſtitia ad damni hujus reparationem.

7. Injuſtus occiſor debet reſarcire omnia damna realia, & lucrum ceſſans ſaltem hæredibus, aliisque, quos defunctus alere tenebatur.

8. Qui fraude, vi, vel falſis perſuaſionibus virginem vitiavit, debet compenſare, quidquid inde damni conſequuntur ipſa, ipſiusque parentes.

9. Qui furando damnum fecit, totum reſarcire debet, etſi damnum per furta minuta, & ſucceſſiva datum ſit, nec adfuerit animus veniendi ad ſummam gravem.

10. Qui detrahendo nocuit etiam absque peccato, tamen ſub peccato debet famam reddere.

11. Ad reſtitutionem adſtringuntnr cooperantes, ſinguli in ſolidum, ſi cæteri non reſtituant.

12. Res aliena reſtituenda eſt domino. Videtur tamen, quod bonæ fidei poſſeſſor poſſit rem reddere illi, unde habet, ſi periculum ſit damni proprii: quod tamen de malæ fidei poſſeſſore dictum non ſit.

13. Dantur cauſæ a reſtitutione excuſantes, haut ſecus ac in † cæteris legibus. Impotentia excuſat, dum quis verſetur in externa neceſſitate vel propria, vel eorum quos alere tenetur. Ex gravi neceſſitate differre reſtitutionem licet. Excuſat interitus rei, cum ſuis tamen limitationibus. Ceſſio bonorum excuſat pro foro externo tantum. Compenſatio non prohibetur, ſi debitis veſtita ſit circumſtantiis; quæ fors in caſu rariſſimo concurrent.

LXII.

Ex juſtitiæ virtute conſequitur virtus religionis, per quam Deo, veluti rerum omnium principio, debitus exhibetur cultus. Plures ſunt actus, quos præcipit religio, videlicet devotio, oratio, adoratio, ſacrificium, juramentum, votum &c. quibus & ſua opponuntur vitia.

1. A devotione habenda nemo hominum poteſt excuſari. Devotio eſt actualis voluntas, prompte ſe tradendi ad ea, quæ ſpectant ad famulatum & cultum Dei. Veram devotionis naturam exponere ſuis debent paſtores. Non bene agunt ii, qui dum defectus & peccata devotioni oppoſita deberent carpere, homines, iis defectibus laborantes, traducunt.

2. Oratio ad Deum homini, ſalutem æternam adipiſci cupienti, ſumme neceſſaria eſt, eaque non imperfectio, multo minus peccatum eſt, etſi ab homine peccatore veniat. Diſtinguenda contra Wicclefiſtas eſt oratio a bona operatione. Principaliter orandus eſt Deus: ſed & Sanctos utiliter invocamus, ut pro nobis ad Deum intercedant; imo & purgantes animæ poſſunt orari. Iſtud Paul. 1. Theſſ. 5. *Sine intermiſſione orate*, male de oratione ſingulis momentis continuanda explicatur. Charitas & beatitudo abſolute a Deo peti debent: ea vero bona, quibus abuti ad damnum poſſumus, ſub conditione tantum. Orandum eſt pro omnibus hominibus, juſtis & injuſtis, fidelibus & infidelibus, pro animabus purgantibus: non item pro beatis, nec pro damnatis. Præſtantiſſima inter omnes eſt oratio dominica. Orationi inſiſtendum, nec ſtatim deficiendum, dum non mox videtur exaudire Deus.

3. Adoratio præſtanda eſt Deo. Cultus quem Deo propter ſummam ejus excellentiam tum internis actibus, tum externis ſignis conteſtamur, latria dicitur. Huic non obſtat dulia, qua Sancti; & hyperdulia, qua B. V. Maria colitur. Humana Chriſti natura uno eodemque cultu latriæ adorari debet, quo Verbi divinitas. Venerationem recte deferimus cruci veræ, in qua Chriſtus mortuus eſt, ac aliis crucibus ad repræſentandam veram formatis. Denique ſuum imaginibus Chriſti ac Sanctorum honorem contra Iconomachos habemus, & contra Vigilantium, ac ejus hodiernos ſectatores Sanctorum reliquiis.

4. In nova lege Deus honorandus eſt ſacrificio miſſæ, quod eſt latrevticum, euchariſticum, impetratorium, & propitiatorium. Chriſtus

ſtus Apoſtolos inſtituit ſacerdotes, & ordinavit, ut ipſi aliique ſacerdotes offerrent ſacrificium hoc. Suis temporibus illud offerre tenentur ſacerdotes, eique devote intereſſe fideles reliqui. Infinitus equidem eſt ſacrificii miſſæ valor, a Deo tamen ad effectus finitos tantum acceptatur.

5. Juramentum eſt actus religionis, eoque licet uti, ſi fiat in veritate, judicio, & juſtitia. Juramentum eſt invocatio divini nominis in teſtimonium alicujus rei. Qui jurat in re levi, dum veritas deficit, ſemper peccat graviter. Qui jurat ex defectu judicii ſine neceſſitate vel utilitate, venialiter peccat, ſi tamen abſit ſcandalum & periculum jurandi falſum. Qui rem ſive graviter, ſive leviter malam jurat, ſemper peccat graviter: & venialiter, qui jurat, ſe non impleturum rem meri conſilii. Jurare ſine animo jurandi ſemper eſt peccatum. Obligatio ex juramento promiſſorio gravis eſt in materia gravi bona: in re levi bona, levis. Juramentum promiſſorium de re mala nunquam poteſt impleri. Juramentum metu gravi injuſte incuſſo extortum valet & obligat: ſed faciliter poteſt reſcindi, & diſpenſari etiam ſine conſenſu ejus, cui præſtitum eſt. Juramento perjurium opponitur, quo referri mendacium poteſt, in omni caſu illicitum, imo nec reſtrictione pure mentali licet unquam uti.

6. Votum eſt actus religionis Deo gratus, & obligationem inducens. Votum eſt promiſſio deliberate Deo facta de bono meliori. Votum de actione indifferente nullum eſt. Obligatio voti ex quantitate materiæ, non ex intentione voventis menſuranda eſt. Metus gravis injuſte incuſſus irritat vota ſolemnia, non ſimplicia. Irritare vota poſſunt ii, quibus perſona, vel voluntas voventis, vel ipſius voti materia eſt ſubjecta. Vota monaſtica ſunt Deo grata, & ſtatui legis evangelicæ convenientia. His præmittendus integer annus probationis, quo durante libertas manet novitio voluntatem mutandi, & redeundi ad ſæculum. Profeſſi debent ſervare vota paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ, & ad perfectionem tendere. Medium huc conducens ſunt regulæ ordinum & ſtatuta, nec non piæ & approbatæ conſuetudines. Status religionis indiſſolubilis eſt: poteſt nihilominus in votis diſpenſare Papa. Religioſis tranſitus ad ſtrictiorem ordinem patet.

7. Chriſtiani Deum colere tenentur obſervatione diei dominicæ & feſtorum. Obſervatio diei dominicæ tum ex jure naturæ, tum ex præcepto eccleſiæ profluit, atque Apoſtolorum tempore in uſu fuit. Ex antiquiſſima traditione deſcendit inſtitutio feſtorum Natalis

Domi-

Domini, epiphaniæ, hebdomadæ majoris, diei paſchalis, celebrandi dominica prima poſt plenilunium ab æquinoctio verno primum, Aſcenſionis, Pentecoſtes &c. Succeſſive alia feſta per eccleſiam ſunt inſtituta, hodie vero ex parte legitime abrogata. Poteſt etiam Epiſcopus pro ſua diœceſi, cum conſilio magiſtratus laici, feſta inſtituere. Dies dominici & feſti ſpecialiter ad cultum Dei ordinantur. Devote iis diebus audienda eſt miſſa, abſtinendum ab operibus ſervilibus, actionibus judicialibus, mercatu ſtrepitoſo &c.

LXIII.

Cum virtute juſtitiæ connectitur pietas, obſervantia, & gratitudo. Pietatem debent liberi parentibus, amorem parentes liberis & chriſtianam educationem.

1. Pietate comprehenditur amor, obedientia, & reverentia. Odio, imprecatione, ſubtractione auxilii, expoſitione, inſtructionis in fide neglectu, malo exemplo &c. & ſibi & liberis nocent parentes.

2. Subditi ſuis præpoſitis obligantur obſervantiam præſtare: hi vero mutua ſubditis officia. Sicut heris famuli obſervantiam exhibere debent iis obediendo, non contemnendo, fideliter laborando, non defraudando, damnum non inferendo, ante conventum tempus famulatum ſine juſta cauſa non deferendo &c. ita culpam contrahunt heri iracundia, auſteritate, percuſſione, mercedis ſubtractione &c.

3. Gratitudinem exhibere tenemur homines illis, a quibus officia & beneficia percepimus. Gratum animum ſignificamus gratias agendo, honorem & reverentiam his, qui bene de nobis meriti ſunt, præſtando, acceptorum beneficiorum memoriam conſervando, eaque apud alios celebrando, fauſta quæque adprecando a Deo noſtris benefactoribus, gerendo voluntatem pronam ad compenſandum &c.

LXIV.

Actionibus virtutum tam theologicarum, quam moralium mereri quidpiam a Deo poſſumus.

1. Requiritur ad meritum ex parte operis, ut actus ſit liber a neceſſitate, ſupernaturalis, pro aliqua temporis differentia abſolute exiſtens.

2. Requiritur ex parte merentis ad meritum, ut homo ſit viator.

3. Requiritur ad meritum ex parte Dei remunerantis, ut is acceptet opus in meritum.

4. Ut opus ſit condigne meritorium, oportet eſſe aliquo modo æquale præmio, & præceſſiſſe promiſſionem remunerationis a Deo factam, non autem debet neceſſario a charitate elici vel imperari.

5. Quodſi una ex conditionibus meriti condigni deſit, meritum erit congruum.

6. Nemo hominum gratiam actualem primam, aut condigne ſecundam efficacem mereri poteſt. De congruo & peccator & juſtus mereri poteſt gratiam efficacem ſecundam.

7. Peccator gratiam ſanctificantem non niſi congrue, juſtus augmentum gratiæ condigne meretur.

8. Juſtus nec perſeverantiam, nec reparationem poſt lapſum mereri de condigno poteſt; meretur tamen de condigno gloriam.

LXV.

Non tantum actiones malæ prohibentur hominibus, ſed virtutum etiam exercitium præcipitur.

LXVI.

Ut actiones humanæ nunquam a legum præſcripto degenerent in malas, ſintque conformes ſemper virtutum regulis; continua rebellium affectuum edomatio ſeu mortificatio cujvis hominum ſumme neceſſaria eſt.

1. Diſſuadetur recte aſſumptio operum pœnalium extraordinariorum, quæ fit absque conſilio directoris cujusdam.

2. Interiores animi motus, ad malum incitantes, reprimere adeo debemus, ut nunquam a mortificationis cultu ceſſandum ſit etiam perfectis, quamdiu in hac morantur vita.

3. Itaque mortificationis obligatio non tantum Clericos aut Religioſos, ſed homines omnes, qui in hoc ſæculo vivunt, afficit.

DE IIS, QUÆ PERTINENT AD DOCTRINAM IN MATERIA SACRAMENTORUM EX LEGIS A CHRISTO INSTITUTÆ PRÆSCRIPTO.

LXVII.

In lege evangelica ſeptem numeramus Sacramenta, omnia a Chriſto inſtituta.

1. Inſtruendus eſt populus, ne imagines ſanctorum, cruces, & alia id generis in numero ſacramentorum collocet.

2. Docendi ſunt Chriſtiani, legis antiquæ ſacramenta nullius eſſe jam roboris, & cum noſtris non confundenda ſacramentis: nec lotionem pedum, quæ feria quinta hebdomadæ majoris in eccleſiis plurimis fit, ſacramenti vim habere: neque ab ullo hominum, etiam Sacerdotibus, Epiſcopis, aut Papa Sacramentum aliquod inſtitui poſſe.

LXVIII.

Omnia Sacramenta conſtant rebus & verbis, ceu materia & forma.

1. Chriſtus equidem ſacramentorum materiam & formam aliquo modo determinavit, ut adeo nihil poſſit immutari in eo, quod ipſe ordinavit: reliquit tamen eccleſiæ poteſtatem determinandi materiam & formam quoad ſpeciem infimam in iis, ubi ipſe noluit ſatis determinare.

2. Qui variationem ſubſtantialem ſive formæ, ſive materiæ inducit, tollit valorem ſacramenti.

3. In conferendis ſacramentis aliquando recte adhibetur, & adhiberi debet forma conditionalis.

LXIX.

Sacramenta non ſunt inter ſe neceſſitate, vel dignitate paria.

1. Baptiſmus unicuique ſine ulla adjunctione neceſſarius eſt.

2. Pœnitentia vero illis tantum, qui ſe poſt baptiſmum aliquo peccato mortali adſtrinxerunt.

3. Ordo etſi non ſingulis fidelibus, toti tamen eccleſiæ omnino neceſſarius eſt.

4. Confirmatio pro vita chriſtiane agenda robur dat.

5. Extrema unctio morituros juvat.

6. Verum ſi dignitas in ſacramentis ſpectetur, euchariſtia ſanctitate & myſteriorum numero ac magnitudine longe cæteris antecellit.

7. Per magnum matrimonium corporaliter augetur eccleſia.

LXX.

Sacramenta ex opere operato omnibus, non ponentibus obicem, gratiam conferunt.

1. Vis conferendi gratiam, & non ſoli ritus externi, præcipuum faciunt diſcrimen a ſacramentis antiqui fœderis.

2. Fideles ſcire debent non tantum dogma a Tridentino ſancitum: utiliſſium erit, & chriſtianæ devotioni ſerviet plurimum, ſi noverint, a ſacramentorum juſta frequentatione pendere gratias excitantes plurimas, diverſas pro diverſitate finis, ad quem ipſa ſacramenta ſunt inſtituta.

3. Sacramenta vivorum per accidens conferunt gratiam primam.

4. Sacramenta ejusdem ſpeciei operantur æqualiter, vel inæqualiter pro ratione diſpoſitionis æqualis, vel inæqualis.

5. Sacramenta baptiſmi, confirmationis, ordinis, extremæ unctionis, & matrimonii, cum obice ſuſcepta, eo per ſequentem diſpoſitionem remoto, denuo reviviſcunt.

6. Baptiſmus, confirmatio, & ordo characterem imprimunt animæ nunquam delebilem.

LXXI.

Non omnes Chriſtiani omnium ſacramentorum miniſtrandorum poteſtatem habent.

LXXII.

Ad valorem ſacramenti fides catholica miniſtri non eſt neceſſaria; neque ſtatus gratiæ.

1. Quando igitur ſolus fidei catholicæ defectus in miniſtro ſacramenti cujuslibet reperitur, & miniſter talis cætera ad validitatem ſacra-

ſacramenti requiſita rite ponit, verum conficitur ſacramentum. Imo baptiſmus erit verus, etſi Judæus aut Paganus baptizet, modo debitam habeat intentionem.

2. Peccato ſe obſtringunt, qui in ſtatu gravis peccati ſacramenta miniſtrant, vel euchariſtiam diſtribuunt; aut etiam ſolemniter peragunt functionem, ad quam per verum ſunt ordinati ſacramentum.

LXXIII.

Præcepto divino mandatum eſt omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas ſacramentorum adminiſtratione paſcere: immo & animas ſuas dare pro ovibus ſuis.

1. Incumbit paſtoribus obligatio miniſtrandi ſacramenta non tantum in gravi neceſſitatis periculo, ſed etiam extra neceſſitatem, quoties ea rationabiliter petunt parochiani; qui ſi ſe moroſum aut difficilem præbeat parochus, peccat.

2. Paſtoris etiam officium eſt inquirere, num oves ſacramentis indigeant, nec ne?

3. Tempore peſtis etiam cum vitæ periculo miniſtrare ſacramenta debent parochi, & in horum defectu alii presbyteri, ac ſacerdotes ordinum mendicantium.

4. Peccati autem ſe gravis reos conſtituunt, qui ſacramentum indigno miniſtrant. Peccatori tamen occulto, publice petenti, negandum non eſt ſacramentum. Præceptum, non dandi indigno ſacramentum, ſtringit adeo, ut neque metus mortis ab ejus transgreſſione excuſet. Nulla etiam cauſa eſſe poteſt, ob quam liceret ſacramentorum adminiſtrationem ſimulare.

LXXIV.

In miniſtris ſacramentorum requiritur ſaltem iutentio faciendi, quod facit eccleſia.

1. Mimicum agendi modum relinquimus Luthero: a quo tamen plurimum differre videtur ſententia Ambroſii Catharini.

2. Non opus eſt, ut miniſter explicite intendat conferre ſacramentum, vel efficere rem abſolute in ſe ſacram, aut facere, quod facit eccleſia romana: ſed ſufficit horum intentio implicita, quæ de-

bet esse interna, & saltem virtualis, ac determinata ad certam materiam & personam; error tamen ministri circa personam, suscipientem sacramentum, non obstat illius valori: aliter sentiendum in matrimonio, ubi ipsi suscipientes sunt ministri.

LXXV.

Ad validam reliquorum sacramentorum susceptionem requiritur baptismus.

Præterea, ut adulti valide suscipiant, præcedere debet positiva, saltem habitualis voluntas, illud suscipiendi.

LXXVI.

Volens suscipere sacramentum cum fructu, liber sit ab obice.

Peccatum lethale obex ille est, qui fructum sacramenti impedit. Hinc non tantum eucharistiæ sumptioni, sed etiam reliquorum sacramentorum susceptioni confessionem, si fieri possit, præmittendam esse arbitramur a Christianis, qui mortalis noxæ rei sunt.

LXXVII.

Ecclesiæ potestas competit ordinandi cæremonias in solemni sacramentorum administratione. Hæ pro libitu omitti, contemni, aut in novas alias mutari non possunt ex arbitrio privato pastorum.

1. Serviunt ritus sacri ad majestatem religionis nostræ mysteriis conciliandam, & excitandam ac nutriendam fidelium fidem.

2. Proin peccant, qui cæremonias, sive ab universali sive a particulari cujuslibet ecclesia præscriptas, non servant.

LXXVIII.

Baptismus verum sacramentum est, a Christo institutum; & distinguitur a Joannis baptismo.

LXXIX.

LXXIX.

Aqua vera & naturalis eſt de neceſſitate baptiſmi.

1. Errarunt Cajani, aquam a baptiſmo penitus repudiantes: Lutherus & Beza Calvinianus, hanc in caſu neceſſitatis non requiri exiſtimantes: aliique hæretici, qui aquam in ſenſu metaphorico intelligebant.

2. Aqua ſe habet per modum materiæ remotæ ad baptiſmum.

3. Sufficit, ſi aqua ſit maris, fluvii, paludis, putei, aut fontis.

4. Siricius & Stephanus Papæ nunquam approbarunt baptiſmum *vino collatum*: collatum cereviſia irritum declaravit Gregorius IX. Archiepiſcopo Nidroſienſi in Norwegia: & Innocentius III. nullum eſſe reſcripſit baptiſmum datum ſaliva: baptiſmus etiam, quem Judæo arena miniſtratum ſcribit Moſchus, aut fabuloſus eſt, aut validitate carens.

LXXX.

Materia Baptiſmi proxima eſt ablutio, facienda per actionem phyſicam illius, qui baptizat.

Ablutio fieri poteſt immerſione, aſperſione, vel affuſione, ut adeo cæremonia affuſionis non ſit de neceſſitate ſacramenti; id quod aſſerunt Schiſmatici Græci.

LXXXI.

Forma baptiſmi validi eſt: ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. amen: vel iſta Græcorum: Baptizetur Servus (Serva) Chriſti in nomine Patris & Filii & Spiritus S. amen.

1. De neceſſitate baptiſmi eſt diſtincta trium Perſonarum SS. Trinitatis invocatio.

2. A gravi ſaltem peccato immunem exiſtimamus eum, qui omitteret verba *ego*, *in*, *amen*.

3. Dum actio abluendi exprimitur, aqua in tanta eſt affundenda quantitate, ut fluere poſſit, & corpus phyſice tangere contactu ſucceſſivo.

LXXXII.

Baptiſmi capaces ſunt omnes homines adulti & infantes, quibus baptiſmus multum etiam expediet.

1. Adultis perpetuo amentibus, aut furioſis, baptiſmus conferendus eſt, ſicut parvulis: iis tamen, qui his morbis ex intervallis laborant, baptiſmus non eſt concedendus, ſi eum ante amentiam aut lucidis intervallis non petierint.

2. Liberi infidelium licite baptizantur in mortis articulo, aut extra talem articulum cum conſenſu alterius parentis: vel invitis etiam parentibus, dum ipſi rationis uſu prædiți baptiſmum petunt: aut ſi ſunt ita a parentibus abſtracti, ut non ſit ſpes reditus ad eosdem. Extra ejusmodi caſus filii & filiæ infidelium, Principi chriſtano ſolum civiliter ſubditorum, baptizari prohibentur.

3. Liberi parentum hæreticorum licite baptizari per ſe poſſunt: ſed hodiernis Germaniæ moribus id non videtur ubique conforme, ſaltem quoad Proteſtantes in imperio romano exiſtentes, ob ſuſpenſam in pace Weſtphalica jurisdictionem eccleſiaſticam in ſubditos ſtatuum acatholicorum.

LXXXIII.

Baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem in re, vel in voto, ſi baptiſmi in re accipiendi copia non detur.

1. Perfecta in Deum charitas, aut contritio perfecta vices baptiſmi aquæ ſupplet, quæ in adultis catechumenis & pænitentibus eſſe poteſt ſine remiſſione peccatorum. Imo & martyrium baptiſmi loco eſt tam infantibus, quam adultis, ſi ſaltem habituali voluntarietate mortem patienter acceptent ex motivo ſupernaturali, & de peccatis actualibus ſufficienter doleant. Hodie tamen

2. Vota vel fides parentum parvulis nullo modo baptiſmi defectum ſupplere poteſt.

3. Baptiſmus non eſt differendus usque ad mortis articulum, nec ad eam ætatem, in qua Chriſtus baptizatus eſt.

4. Priusquam ſuſcipiat adultus baptiſmum, inſtruendus eſt de intentione debita, dolore, cognitione myſteriorum, & præceptorum b eo deinceps ſervandorum.

5. Quam-

5. Quamvis etiam primis forſan eccleſiæ ſæculis non ſtatim a nativitate baptizari conſueverint infantes; juxta hodiernam tamen diſciplinam peccaret, qui baptiſmum infantis ad 15. vel 20. dies absque ratione differret.

LXXXIV.

Quotiescunque dubium vere grave, aut probabile eſt, baptiſmum vel nullo modo, vel invalide fuiſſe collatum, dandus eſt ſub conditione.

1. Si nullum dubium ſit, datur certitudo moralis ſuſcepti baptiſmi, nec is ſub conditione ſine gravi irreverentia repeteretur.

2 Quoad natos inter fideles catholicos certi poſſumus eſſe de baptiſmo, niſi aliunde in contrarium vere probabilis urgeret conjectura. Secundum canones unicus teſtis, in quem non cadit ſuſpicio mendacii, certitudinem moralem facit de collato baptiſmo. Eandem parit liber baptizatorum, in quo ſolers parochus ſcribit nomina baptizatorum. Schedula ſola infantibus expoſitis appenſa, quæ ſit baptiſmi teſtis, non ingerit certitudinem moralem de baptiſmo collato. Itaque hi ſunt ſub conditione baptizandi æque ac ii, de quibus dubitatur, an nondum ſint mortui. Infantes ab obſtetricibus baptizati neque in noſtra Friſingenſi diœceſi univerſaliter ſub conditione ſunt denuo baptizandi: & Benedictus XIV. improbat ſynodos ac libros rituales, in quibus generatim ſub conditione baptizandi decernuntur baptizati ab obſtetricibus.

3. Infantes certo mortui, dein vero apud imagines tavmaturgas ſigna dubia vel probabilia vitæ edentes, ſub conditione baptizari prohibentur.

4. Infans adhuc in utero materno clauſus poteſt aliquando, & tunc etiam debet ſub conditione baptizari: quodſi infans caput ex utero emittat, abſolute debet in capite baptizari: ſi aliam partem protendat, ſub conditione in illa parte eſt baptizandus.

5. Fœtus abortivi cujuscunque ætatis, etiam octo tantum dierum &c. ſub conditione baptizandi ſunt. Monſtra nullo modo baptizari debent, ſi nihil prorſus humanæ ſpeciei reperiatur. In dubio ſub conditione baptizandus eſt partus monſtroſus.

LXXXV.

Baptiſmi ſolemnis miniſter principalis eſt Epiſcopus, minus principalis ſacerdos.

1. Sacerdos, non parochus, poteſtate hac male utitur extra caſum neceſſitatis, & graviter peccat, ſine ſufficiente parochi facultate baptizando in aliena parochia.

2. Extraordinarius baptiſmi miniſter diaconus eſt.

3. Exigit officium miniſtri, ne imponat aut imponi permittat baptizandis nomina turpia, ridicula, aut hominum impiorum memoriam referentia.

4. Si caſus neceſſitatis emergat, omiſſis cæremoniis, ſervatis tamen ad eſſentiam ſervandis, miniſtrare baptiſmum poteſt laicus ſive vir, ſive fœmina, hæreticus, ſchiſmaticus, infidelis: ſed parentes extra caſum neceſſitatis ſemper peccant propriam ſobolem baptizando.

LXXXVI.

Verus effectus baptiſmi eſt, quod ſecluſo obice per eum tollatur peccatum originale, & actuale, & pœna omnis debita peccatis, ac infundatur gratia ſanctificans.

LXXXVII.

Cæremoniæ in baptiſmo ſunt ſervandæ.

1. Nullum dubium eſt, gravis ſe peccati rerum facere, qui omnes cæremonias aut notabilem earum partem intermitteret.

2. Baptiſmus in eccleſia debet conferri, nec ſine gravi cauſa ab hoc præſcripto recedere licet. Quid pro filiis principum indultum ſit, conſtat.

3. Ut per aquam naturalem extra caſum neceſſitatis baptiſmus licite adminiſtretur, ſummenda eſt de illa, quæ ſabbatho ſancto ac vigilia pentecoſtes conſecratus, & in fonte baptiſmali aſſervatur.

4. E cæremoniis principalior eſt patrini præſentia, qui in ſolemni tantum baptiſmo debet adhiberi ad levandum e baptiſmo infantem. Inde oritur cognatio quædam, qua patrinus efficitur pater ſpiritualis infantis. Ex eo patrinus obligatur, inſtruere infantem levatum ad vi-

tam chriſttane agendam. Hanc cognationem adeo reverendam duxit eccleſia, ut ſtatuerit patrinum (matrinam) cum filio ſuo ſpirituali, ejusque parentibus carnalibus nullum validum inire poſſe matrimonium: ſicut & baptizans cum baptizato ejusque parentibus idem contrahit impedimentum jure eccleſiaſtico. Excludit eccleſia a patrini officio parentes carnales, hæreticos, infideles, & omnes, qui hujus ſanctæ tutelæ adminiſtrationem vel nolint vel non poſſint gerere. Sapienter quoque in Conc. Tridentino fuit proviſum, ne plures, quam unus vel unus & una patrinum agant. Solum qui deſignatur & levat infantem, contrahit impedimentum, non autem alii non deſignati, etſi tangentes. Dum vero procuratorio modo res agitur, non procurator contrahit, ſed principalis.

LXXXVIII.

Confirmatio eſt verum novæ legis ſacramentum, quo baptizati roborantur ad fidem conſtanter profitendam.

1. Proximam hujus ſacramenti materiam exiſtimamus eſſe chryſmationem, & manus impoſitionem ſecundam, quæ chryſmationi adnectitur. Chryſmatio autem videtur eſſe facienda in fronte, & quidem per modum crucis.

2. Materia remota eſt oleum olivarum. Huic an de neceſſitate ſacramenti balſamum ſit miſcendum, diſſident theologi, gravem ſaltem obligationem miſcendi balſami cum omnibus adſtruimus.

3. Chryſma ad hoc ſacramentum valide conficiendum debet eſſe benedictum vel ab Epiſcopo vel ſaltem a ſimplici ſacerdote, cui id muneris committere poteſt Papa.

4. Forma confirmationis his verbis abſolvitur: *ſigno te ſigno crucis & confirmo te chryſmate ſalutis in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Græcis hæc valet: *ſignaculum doni Spiritus ſancti.*

LXXXIX.

Miniſter confirmationis ordinarius eſt ſolus Epiſcopus.

1. Arbitramur nihilominus, a ſimplici ſacerdote confirmationem miniſtrari poſſe ex diſpenſatione ſummi pontificis, adeoque de poteſtate extraordinaria.

2. Epi-

2. Epiſcopus in conſcientia ſtricte obligatur confirmationis ſacramentum impertiri ſuis diœceſanis, niſi hi alibi acceperint.

XC.

Omnis homo baptizatus & nondum confirmatus confirmari poteſt.

1. Apud nos prohibentur confirmari, qui annos diſcretionis nondum attigerunt, niſi aliud ex ſuis rationibus viſum fuerit Epiſcopis.
2. Omnes fideles obligantur confirmationis ſacramentum ſuſcipere.

XCI.

Euchariſtia eſt ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini ad ſpiritualem animæ refectionem inſtitutum in ultima cæna Matt. c. 26. v. 26. *Profitemur ſimpliciter in almo SS. euchariſtiæ ſacramento poſt panis & vini conſecrationem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum & hominem realiter & ſubſtantialiter ſub ſpeciebus illarum rerum ſenſibilium contineri, ita quidem, ut vi verborum conſecrationis totalis fiat transſubſtantiatio panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti, manentibus duntaxat ſpeciebus, ac etiam totus exiſtat Chriſtus ſub qualibet ſpecie, & totus ſub qualibet parte ſpeciei.*

Non conſiſtit euchariſtia in uſu, ſed in re permanente, ut adeo Chriſtus adſit ſub ſpeciebus conſecratis non tantum quando ſummitur, ſed etiam antea & poſtea, quamdiu ſpecies non corrumpuntur, etiam in particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur vel ſuperſunt.

XCII.

Materia conſecrationis eſt panis triticeus, & vinum de vite.

1. Panis triticeus poteſt eſſe azymus, aut fermentatus. Latini tamen ex præcepto tenentur uti azymo; Græci infermentato euchariſtiam conficiunt.
2. Vinum ſufficiens eſt, modo ſit naturale qualecunque. In aduſto non conſecraretur valide.

XCIII.

XCIII.

Verba certo essentialia per modum formæ ad consecrationem requisita sunt: Hoc est corpus meum: hic est calix sanguinis mei: vel: *hic est sanguis meus.*

1. Theologi alia quoque verba tum præcedentia, tum sequentia ad valorem probabiliter requirunt; id certum, quod non sine maxima temeritate & nullitatis periculo omittantur.

2. Particula *enim* non videtur ad valorem pertinere.

XCIV.

Ministri eucharistiæ conficiendæ sunt soli sacerdotes.

1. Nihil cum Gnosticis in hac parte sibi tribuant fœminæ: nihil cum Waldensibus probi etiam laici.

2. Ex eo dignitatem tum ipsius sacramenti, quod non singulorum potestati tribuit Deus, tum sacerdotum honorem, quos tanti mysterii constituit ministros, colligere licet.

3. Eucharistiam potestate extraordinaria dispensare possunt Diaconi.

XCV.

Eucharistiam summere possunt omnes homines baptizati, & a noxis lethalibus immunes.

1. Eucharistia olim usque ad Sæculum XII. dabatur infantibus; non ita hodie: energumenis tantum in discrimine vitæ aut pacificis intervallis; & hoc etiamnum. Amentibus dabatur quondam in lucis intervallo & mortis articulo, non amplius hodie in mortis articulo.

2. Qui in gravi peccato de eucharistia participat, judicium sibi manducat.

3. Circa eos, quibus ultimum supplicium decretum est, varia est disciplina in administranda eucharistia.

XCVI.

Habemus divinum mandatum sumendi aliquando eucharistiam.

1. Ad salutem necessaria non est eucharistia, neque parvulis ullo modo.

2. Non

2. Non dubitamus, pro mortis articulo quemvis adultum fidelem adſtringi ad ſummendum hoc ſacramentum.

3. Qui ad S. Synaxin tempore paſchali non accederet, excommunicationi ſubjaceret ferendæ ſententiæ.

4. Laici ſub utraque ſpecie communionem ſummere non tantum non obligantur, ſed & prohibentur.

XCVII.

Euchariſtia recte aſſervatur in ſacrario, defertur ad infirmos, exponitur pro adoratione publica populo, ac in proceſſionibus circumgeſtatur.

1. Sacramentum aſſervatur pro ſolatio infirmorum, & fidelium adoratione: ſed ciboria munda eſſe oportet, & coram eo noctu diuque lampas ardeat. Clavem ad ciſtam ſacramenti habeat rector eccleſiæ, nunquam vero laici, ne quidem patroni eccleſiæ.

2. Deferri ad ægrotum non debet euchariſtia, qui eam non eſt ſumpturus, ſed tantum adoraturus: nec ſine gravi cauſa occulte, ſed publice eſt deferenda, dum petitur ab infirmo.

3. Si ſacramentum publice exponitur, ſaltem ſex cerei debent coram eo ardere. Eſt autem penes Epiſcopum authoritas expoſitionem ordinandi: nec quis pro lubitu euchariſtiam vel in ciborio, vel in monſtrantia poteſt exponere: imo nec licet ſine ſpeciali facultate tempeſtates & incendia cum SS^mo. benedicere.

4. Hodie in feſto SS^mi. corporis Chriſti debet publice circumferri ſacramentum.

XCVIII.

Pœnitentia in eccleſia vere ac proprie ſacramentum eſt, pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto domino noſtro inſtitutum, & a baptiſmo diſtinctum, adeoque ſecunda poſt naufragium tabula.

XCIX.

Sacramenti pœnitentiæ pars eſt contritio, ceu materia.

1. Perfecta contritio concipitur ex motivo charitatis Dei ſuper omnia dilecti propter ſuam bonitatem abſolutam. Imperfecta,

quæ

quæ dicitur etiam attritio, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu proficiſcitur. Contritio perfecta formalem amorem & dolorem debet includere.

2. Contritio ſive perfecta, ſive imperfecta, actus honeſtus eſt. Si contritio ſit appretiative ſumma, licet absque certa intenſione aut temporis duratione; ſi ſe extendat ad omnia peccata gravia ſaltem generatim: ſtatim liberat pœnitentes etiam ante uſum ſacramenti pœnitentiæ ab omnibus peccatis, quantumvis numero vel atrocitate horrendis, eo etiam effectu, ut bona opera, peccato mortificata, denuo reviviſcant ad totum eſſentiale & gratiam ſanctificantem, etſi peccatum ſemel remiſſum, novo ſubſequente peccato, nec quoad reatum culpæ, nec quoad reatum pœnæ redeat.

3. Aliqua contritio neceſſaria eſt ad obtinendam peccatorum remiſſionem, & ad eſſentiam ſacramenti pœnitentiæ. Extra uſum ſacramenti pœnitentiæ per ſe requiritur contritio perfecta, ut homo a peccatis ſolvatur: per accidens tamen eandem vim ineſſe putamus actui charitatis perfecto. Non dubitamus, omni ſtudio connitendum eſſe, ac exhortandos fideles ad contritionem perfectam, dum ſacramentum pœnitentiæ percipiunt: exiſtimamus tamen ſufficere, ſolam attritionem ſeu contritionem imperfectam, quæ ſimul includat dilectionem Dei ſaltem inchoatam; quam haberi putamus per actum ſpei, quo ad Deum convertimur, ut nobis ſumme bonum, noſtrumque finem ultimum, eumque diligere incipimus tanquam omnis juſtitiæ fontem. Contritio talis etiam tum neceſſaria eſt, dum mera venialia aut mortalia jam remiſſa in confeſſione exponuntur. Si contritio ſe extendat ad aliqua tantum, non ad omnia venialia, quæ ſola pro confeſſione hic & nunc exponuntur, ſufficiens tamen erit. Quando vero homo plura mortalia in confeſſione accuſat, ſuper omnia tum ea, quæ exponuntur, tum ea quæ memoriam fugiunt & necdum expoſita ſunt, contritio cadere debet; alias ſacramentum non tantum ſine fructu manere, ſed etiam nullum eſſe exiſtimamus. Contritio cum reliquis ſacramenti partibus rite conjungenda eſt. Hinc putamus, contritionem explicite referendam eſſe ad confeſſionem ſacramentalem: non eſſe differendam usque poſt confeſſionem: ad novam confeſſionem eſſe novam ponendam contritionem: tum vero nullum prorſus eſſe ſacramentum, ubi contritio poſt abſolutionem elicitur.

4. Ad eſſentiam ſacramenti pœnitentiæ neceſſarium eſt propoſitum non peccandi de cætero. Homines, qui iteratis vicibus in eadem gravia relabi peccata conſueverunt, non habere verum propoſi-

tum

tum convincuntur: ſicuti etiam a fortiori illi, qui malas peccandi occaſiones ipſi adire aut nutrire ſolent. Quin etiam & ipſe frequentior in eadem venialia relapſus, numero non minutus, timorem haud levem incutere debet de propoſiti ad ſacramentum requiſiti efficacia.

C.

Altera pars, ceu materia ſacramenti pœnitentiæ, eſt confeſſio, quam Chriſtus ipſe inſtituit.

Equidem in Eccleſia modus ſecrete confitendi ab initio ſemper fuit obſervatus: nec eſt merum hominum inventum; neque a mandato Chriſti alienum quid. Confeſſio tamen etiam publice facta ſacramentalis erit: neque opus eſt ad eſſentiam ſacramenti, ut confeſſio voce fiat; hinc & moribundus eſt capax ſacramenti, qui per ſe vel per alios votum confeſſionis manifeſtavit: imo & homo, qui alias chriſtiane vixit, nunc autem, caſu inopino præventus, confeſſionis votum non potuit manifeſtare.

CI.

Confiteri jure divino tenemur omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligente præmeditatione habetur: & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem immutant.

1. Ut confeſſio peccatorum rite inſtituatur, prævia diſquiſitione intimos conſcientiæ receſſus diſcutere debent fideles.

2. Id ubi præſtiterint, & contritione requiſita peccata deteſtati fuerint, clavibus ſubjicienda peccata ſecundum omnem ſpeciem & numerum eorum.

3. Tum vero peccata ſpecie diſtingui arbitramur, dum ſunt contra leges formaliter diverſas ex parte rei præceptæ: id quod denique ex eccleſiæ ac theologorum, ſaniora ſequentium, judicio deſummendum eſt

4. Unicus etiam actus quandoque poteſt infectus eſſe malitia ſecundum ſpeciem multiplici.

5. Numero multiplicari peccata exiſtimamus, quando actus peccaminoſi phyſice inter ſe diſtincti, tam ſimiles quam diſſimiles interrumpuntur per retractationem abſolutam & efficacem actus præcedentis;

tis; vel per ſolam voluntatem contrariam. Sæpe etiam fiunt plura numero peccata, dum etiam absque retractatione vel voluntate contraria interrumpuntur actus per ceſſationem voluntariam. Plura quoque ſunt peccata, dum actus peccaminoſi phyſice diſtincti verſantur circa plura objecta totalia. Ultimo tandem, ſi actus phyſice unus fertur in plura objecta totalia, numero diſtincta, multiplex numero peccatum erit, in confeſſione aperiendum.

6. Voluntas peccati, cum actu externo conjuncta, unum duntaxat peccatum eſt pro confeſſione.

7. Circumſtantiæ, quæ inſigniter & mortaliter intra eandem ſpeciem aggravant, in confeſſione debent exprimi.

8. Peccata aliena in confeſſione ex juſtitia ſunt tacenda: & ne confeſſario quidem interroganti criminis ſocius eſt manifeſtandus, excepto caſu, quo pœnitens non poſſet aliter explicare peccatum tale, quod confiteri tenetur, ſimulque non haberet copiam alterius confeſſarii, niſi talis, cui notus ſit complex.

9. De peccatis dubiis ſequentia tenemus. Qui habet meram neſcientiam an peccaverit, aut peccatum commiſſum expoſuerit, poteſt ſilere de tali confeſſione. Qui probabilius judicat, ſe peccaſſe, nondum vero confeſſum, debet ſe accuſare. Qui ex æquali rationum pondere non poteſt ſe reſolvere, utrum peccarit vel non, aut expoſuerit? tale peccatum in confeſſione revelare debet. Qui bona fide peccatum confeſſus eſt ut dubium, ſi dein deprehendat eſſe certum, debet iſtud denuo confiteri tanquam certum. Qui numerum incertum expoſuit, certum iterum in confeſſione dicere debet, ſi poſtea noverit.

10. Etſi vero omnia & ſingula peccata mortalia aperienda ſacerdoti ſint in confeſſione, ſatis tamen eſt pro certis caſibus & gravibus cauſis confeſſio formaliter integra ad obtinendum validæ abſolutionis beneficium: ſic tamen, ut maneat obligatio, peccatum ex certa ratione ommiſſum, ceſſante tali ratione exponendi.

11. Ex integro iteranda confeſſio eſt, quotiescunque vel ex culpa vel etiam absque culpa fuit invalida.

12. Peccata etiam venialia bene clavibus ſubjiciunt chriſtiani. Nulla quidem obligatio ſcitur confitendi venialia per ſe, plurima tamen erit utilitas. Siquis ex pietate particeps fieri voluerit ſacramenti pœnitentiæ, nullius tamen gravis noxæ ſibi conſcius ſit, debebit per accidens ſaltem unum veniale confiteri. Alia de rebus, ad animæ directionem non pertinentibus, colloquia irreverentiam aut gravem aut levem ſacramento inferunt.

CII.

Forma ſacramenti pœnitentiæ apud Latinos bis verbis comprehenditur: Ego te abſolvo a peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti amen.

1. Videtur ex monumentis eccleſiaſticis eluceſcere, formam pœnitentiæ usque ad Sæculum XIII. precatoriam fuiſſe, atque indicativam dein primo conſuetudine introductam. Apud Græcos adhuc precatoria manet, & eos quidem, qui cum Latinis uniti ſunt. Eorum Græcorum forma ex authentico græco idiomate fere ſic latine redditur. „ *O mi creator ſpiritualis! ego humilis & peccaminoſus homo non poſſum in hac terra peccatum dimittere, ſed ſolum Deus. Propter divinam autem locutionem illam, poſt reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti ad Apoſtolos factam, quæ ſic ſonat* „ *ſi quorum ſolveritis peccata &c. & nos confidimus in eo, quod dictum eſt, in quantum locutus es etiam ad meam minimam humilitatem, in quantum prius non confeſſus es ſive per ignorantiam, ſive per oblivionem, & in quantum denique Deus tibi ignoverit in præſenti & in futuro tempore. Deus qui ignovit David confitenti peccata ſua per Nathan prophetam, & Petro, negationem ſuam amare deflenti, publicano & filio prodigo, Deus ipſe indulgeat tibi propter me peccatorem omnia, quæ nunc coram ipſo paucitati meæ confeſſus es, & in præſenti & in futuro, & incondemnatum te habeat coram terribili tribunali ſuo. Propter peccata autem, quæ mihi confeſſus es, nullam curam habe, & vade in pace.* Sive autem precatoria ſive indicativa ſit forma, valebit pro utraque, latina ſcilicet & græca eccleſia; etſi grave peccatum commiſſum iri credamus a ſacerdote latino, qui græcorum adhiberet formam.

2. Ad formæ indicativæ eſſentiam judicamus pertinere ſola verba *abſolvo te &c.* reliqua tamen, ſaltem omnia, citra culpam mortalem non ommitterentur.

3. Abſolutio ſacramentalis, quæ per formam conceditur, non eſt nudum miniſterium declarandi, peccata eſſe remiſſa confitenti, ſed actus judicialis. Catholica hæc eſt ſententia, talisque apud eos etiam perſtat, quibus forma precatoria eſt.

4. Ipſa forma abſolutionis in vim ſacramenti verbo proferri debet, & quidem ſuper pœnitentem præſentem, neque per litteras ad eundem dirigi poteſt.

CIII.

Tam virtus quam ſacramentum pœnitentiæ homini, in peccatum grave poſt baptiſmum lapſo, neceſſaria ſunt ad ejus veniam obtinendam.

1. Virtus veræ pœnitentiæ ad remiſſionem peccati conſequendam ſufficiet quidem, ſi in perfectam excreſcat contritionem. Poſtquam vero Chriſtus ſacramentum inſtituit, ſola virtus ſine ſacramento de ſe inefficax erit in homine, qui ſacramenti quidem copiam habet, non autem voluntatem ſeriam illius accipiendi.

2. Exigui ad Deum & propriam ſalutem animi eſt argumentum, de peccato commiſſo nolle ſtatim conteri, ipſumque ſacramenti medium in dies & menſes differre.

3. In mortis articulo fideles ad ſacramentum adſtringi non dubitamus: ſed ad eas procraſtinare anguſtias nec licet, nec periculo vacat.

4. Sæpius in vita pœnitendi & confitendi obligatio reſpectiva eſſe poteſt. Ex lege vero eccleſiaſtica Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. univerſim omnes & ſinguli utriusque ſexus Chriſti fideles, cum ad annos diſcretionis pervenerint, ſemel in anno omnia ſua peccata confiteri debent: quæ lex non impletur per confeſſionem ſacrilegam. Conſuetudo eſt, qua præcepta hæc confeſſio tempore paſchali peragitur. Non comprehenduntur ea conſtitutione illi, qui culpæ mortalis rei non ſunt, niſi eis pro locorum diverſitate aut lex particularis aut conſuetudo neceſſitatem imponat. Qui confiteri obligatur, & toto anno confiteri neglexit, confiteri debet prima data occaſione ſequentis anni.

CIV.

Pœnitentiæ ſacramenti miniſter præter ſacerdotem nemo eſſe poteſt.

1. Pœnitentiæ miniſterium ea gerendum eſt circumſpectione, qualem officia judicis, medici, & doctoris exigunt.

2. Debent confeſſarii ſacerdotes prorſus negare hoc ſacramentum iis, qui debitam non adferunt diſpoſitionem: differre occaſionariis & conſuetudinariis, in idem peccatum relabi ſolitis: aliquando etiam ſub conditione conferre.

3. Debent ſacerdotes intelligere ſtatum animæ illius, cujus confeſſionem audiunt: quandoque interiores conſcientiæ receſſus ſcru-

tando ſcrutari: opportuna adverſus relapſum ſuggerere media: nullo hominum aut rei temporalis reſpectu duci: leges divinas, naturales, & humanas declarare iis, quos earum ignaros perſpexerint; imo & his, a quibus nullum emendationis fructum ſperant: eaque omnia agere, quæcunque peccatori reconciliando, ac immutando poſſunt inſervire.

CV.

Ut ſacerdos miniſter valide ſacramentum pœnitentiæ miniſtret, jurisdictione præditus ſit oportet, aut ab Epiſcopo diœceſeos, in qua pœnitentiam adminiſtrat, approbatus ad confeſſiones ſæcularium audiendas.

Jurisdictione mere probabili aut dubia nunquam licet uti.

CVI.

Epiſcopi habent jus, quædam crimina ita ſibi reſervandi, ut ſacerdotes ab his abſolvere non valeant.

1. Si Epiſcopus caſus quosdam ſuæ reſervat jurisdictioni, extra mortis articulum ſolus reſervans, vel reſervante ſuperior, aut delegatus ab iis poteſt abſolvere, in mortis autem articulo quivis ſacerdos.

2. Sacerdos, non habens poteſtatem in reſervata, ne indirecte quidem unquam abſolvere poteſt pœnitentem.

3. Peregrinus, habens peccatum in ſua diœceſi reſervatum, abſolvi poteſt per confeſſarium in aliena diœceſi, in qua peccatum iſtud reſervatum non eſt, niſi tamen ejusmodi pœnitens in fraudem reſervationis alio migrarit.

CVII.

Sacerdotes miniſtri poſſunt & debent pro peccatis imponere pœnas virtute clavium.

1. Igitur non ſemper tota pœna cum culpa remittitur a Deo, &

2. Alia longe eſt ſatisfactio pœnitentium, quam mera fides, qua apprehendunt, Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe.

3. Non

3. Non poſſumus Janſenianorum partibus accedere, volentium, ſatisfactionem abſolutioni præmittendam eſſe.

4. Magna ſagacitate cavere debent confeſſarii, ne aut facilitate aut aſperitate peccent. Ut pœnitentes ſuorum ſcelerum gravitatem magis agnoſcant, antiquos eccleſiæ veteris canones præ oculis habere, atque ſubinde inculcare expediet plurimum. Igitur univerſæ ſatisfactionis modum culpæ ratio temperabit ſic, ut omnia juſtitia, pietate, & prudentia dirigantur.

CVIII.

Chriſtus dominus ſic inſtituit pœnitentiæ ſacramentum, ut nunquam liceat miniſtro quidpiam, in confeſſione revelatum, verbo aut ſigno, aut alio quovis modo alteri hominum prodere.

Sigilli ſacramentalis objectum ſunt omnia & ſingula peccata, etiam leviſſima, tam propria pœnitentis quam aliena complicis, peccatorum circumſtantiæ, adjuncta, antecedentia, comitantia, & ſequentia &c.

CIX.

Extrema unctio verum eſt novæ legis ſacramentum, a Chriſto Domino inſtitutum, & a B. Jacobo Apoſtolo promulgatum.

1. Materia extremæ unctionis eſt unctio peragenda oleo. Si valorem ſacramenti ſpectemus, ſufficit unctio frontis unica: ſi præceptum eccleſiæ graviter obligans, plures ungendi ſunt ſenſus; qua in re librorum ritualium, honeſtatisque leges obſerventur. Non quivis liquor ex quavis pingui & craſſa materia hic ſervire poteſt: ſed neceſſarius eſt is, qui ex olearum baccis tantum exprimitur. Et quidem de neceſſitate ſacramenti videtur eſſe olei per Epiſcopum benedicti uſus.

2. Forma extremæ unctionis eſt precatio, quam miniſter ungendo pronuntiat in has voces: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum &c.*

3. Sacramentum extremæ unctionis peccata remittit, gratiam confert, alleviat infirmum. Peccata gravia ſuo modo per extremam unctionem, venialia per ſe delentur virtute hujus ſacramenti, quod & peccati reliquias abſtergit. Non tantum gratiam habitualem operatur

extrema unctio, ſed & alias, quibus ſpes roboratur, animus ad ferendas morbi ærumnas erigitur, & ad ſuperandas dæmonis, tunc acrius infeſtantis, tentationes fortior evadit, & denique proxime diſponitur ad introitum gloriæ. Quandoque ſanitatem corpori ſua virtute confert extrema unctio.

4. Idonei hujus ſacramenti miniſtri ſunt ſoli ſacerdotes. Poſſunt autem vel plures ſacerdotes ſimul, vel unus ſolus inungere.

5. Danda eſt extrema unctio ſolis infirmis adultis, ita periculoſe decumbentibus, ut in exitu vitæ conſtituti videantur. Pueris, ratione carentibus, non eſt conferenda extrema unctio. Nomine infirmorum intelliguntur etiam ſenio confecti, quibus ipſa ſenectus gravis eſt infirmitas: non autem mulieres parituræ, navigantes, proficiſcentes ad bellum, peregrinantes, ultimo mox ſupplicio mactandi. Vere infirmos ex præcepto vel divino vel eccleſiaſtico ad extremam unctionem accipiendam obligatos judicamus. Sæpius dari poteſt & debet extrema unctio homini, qui, poſtquam convaluit, in idem vitæ diſcrimen incidit. Imo quotiescunque iterata in eodem etiam morbo, eodemque non mutato, nec aucto mortis articulo valet ſaltem ex capite iterationis, ut adeo ad meram diſciplinam ſpectare videatur, quoties vel quando iterari poſſit, debeatve.

CX.

Ordo verum eſt ſacramentum novæ legis, a Chriſto Domino inſtitutum, vereque exiſtit in novo teſtamento ſacerdotium, & poteſtas aliqua conſecrandi & offerendi verum corpus & ſanguinem Domini, ac peccata remittendi & retinendi.

1. Plures ſunt in eccleſia ordines, majores & minores, per quos velut gradus in ſacerdotium tenditur. Septem numeramus, oſtiariatum, lectoratum, exorciſtatum, acolythatum, ſubdiaconatum, diaconatum, ſacerdotium, qui unus presbyteratum & epiſcopatum complectitur. Ad majores ordines ſpectant ſubdiaconatus, diaconatus, ſacerdotium, reliqui ad minores. Sacramentis non accenſemus ordines minores, nec ſubdiaconatum, ſed diaconatum & ſacerdotium tantum.

2. Ab incunabulis naſcentis eccleſiæ clerici diſtinguebantur a laicis. Inter ipſos autem clericos hierarchia eſt, divina inſtitutione ordinata, quæ conſtat ex epiſcopis, presbyteris, & miniſtris, ſic, ut epiſcopi presbyteris, presbyteri diaconis &c. ſint ſuperiores. Dum ſacerdotium in epiſcopatum & presbyteratum dividimus, cenſe-

mus

mus tamen, jure divino epiſcopos presbyteris ſuperiores eſſe tum excellentia ordinis, tum poteſtate jurisdictionis.

3. Materia eſſentialis ordinationis epiſcopi eſt impoſitio libri evangeliorum, ac impoſitio manuum: forma utrique reſpondens hæc: „ *Accipe Spiritum ſanctum.* Materia ſacramenti in ordinationis ſacerdotis apud Latinos eſt inſtrumentorum, calicis nimirum cum vino, & patenæ cum hoſtia porrectio: nec non impoſitio manuum ultima, quæ fit a ſolo epiſcopo. Forma ad utramque hanc partialem materiam pertinet duplex partialis „ *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo tam pro vivis, quam pro defunctis: &, accipe Spiritum ſanctum.* “ In ordinatione quoque diaconi duæ ſunt apud Latinos partiales materia & forma. Prima eſt impoſitio manus epiſcopi cum hac forma: „ *Accipe Spiritum S. ad robur & reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus in nomine Patris* &c. “ Secunda eſt traditio evangelii cum hac forma: „ *Accipe poteſtatem legendi evangelium in eccleſia Dei pro vivis & defunctis.* “

4. Miniſter ſacramenti ordinis ſunt ſoli epiſcopi conſecrati. Nullus ſimplex ſacerdos extraordinaria etiam poteſtate ſacerdotem, aut epiſcopum, aut diaconum ordinare valet. Subdiaconatum, aut minores valide conferunt ii, quibus id privilegii conceſſum a ſumma ſede fuit. Ipſi epiſcopi valide ordinant, etſi forent improbi, intruſi, hæretici, ſchiſmatici, excommunicati &c.

5. Solus mas capax eſt ſacrorum ordinum ſuſcipiendorum. Mares etiam infantes valide ordinantur: ut vero ipſi mares absque peccato ordinentur, liberi debent eſſe ab omni irregularitate, quæ vel ex defectu, vel ex delicto poteſt incurri.

6. Semel clerici facti jam laici fieri non poſſunt, nec nubere. In eccleſia latina epiſcopi ſacerdotes & diaconi ſemper ad continentiam adſtringebantur: idem obtinebat in eccleſia græca usque ad ſynodum quini-ſextam. Apud Latinos omnes clerici in majoribus ordinibus conſtituti hodiedum obligantur ad perpetuam continentiam. Hujus legis originem immediate quidem ex voto, principaliter autem ex jure eccleſiæ, rite & convenienter ſic ordinantis, derivamus.

CXI.

Matrimonium eſt verum novæ legis ſacramentum.

1. Matrimonio præmittuntur ſponſalia, ter denuncianda publice tribus continuis feſtivis diebus a proprio parocho: tum ſequitur ipſum matri-

matrimonium, ſaltem intra quadrimeſtre adhuc contrahendum, quod fieri etiam poteſt modo procuratorio.

2. Ex matrimonio, legitime contracto, reſultant gratia ſacramentalis, fides conjugalis, debitum conjugale, educatio liberorum ad vitam chriſtianam.

3. Miniſtri matrimonii ſunt ipſi contrahentes: materia & forma ſunt actus contrahentium. Conſenſus quem contrahentes ponunt, debet eſſe verus, deliberatus, ſine conditione, repugnante ſubſtantiæ matrimonii, in pactum deducta, immunis a metu gravi injuſte incuſſo.

4. Impedimenta matrimonii tam impedientia quam dirimentia ſtatuere poteſt eccleſia. Quatuor hodie dantur impedimenta impedientia; ſacratum tempus, vetitum, ſponſalia, votum. Impedimenta, matrimonium dirimentia, habemus plura. Sunt error circa individuum perſonæ, conditio ſervilis, votum ſolemne profeſſionis in religione approbata, cognatio ſpiritualis, carnalis, & legalis, crimen adulterii vel conjugicidii, vis, ſeu metus gravis, directe ad extorquendum matrimonium incuſſus, ordo, ligamen, honeſtas, raptus, impotentia antecedens & perpetua, diſparitas cultus, ætas, clandeſtineitas.

5. In impedimentis impedientibus & dirimentibus juris eccleſiaſtici poteſt diſpenſari

6. Matrimonii vinculum inſolubile eſt. Fuit tamen in lege nova profeſſioni religioſæ tantus attributus favor, ut per eam tollatur vinculum matrimonii præcife rati, & in eodem Papa diſpenſare poteſt. Quoad thorum & habitationem poſſunt ſeparari conjuges ex certis cauſis ad tempus certum vel incertum. Cauſæ divortii poſſunt eſſe adulterium unius conjugis, lapſus unius in hæreſin, apoſtaſia a tota fide chriſtiana, periculum vitæ vel corpori imminens ab altera parte, ſævities, valde moleſta cohabitatio.

7. Cauſæ matrimoniales ſpectant ad judices eccleſiaſticos.

Errata.			*Corrige.*
Pag. IV	Lin. 28.	induit	inducit.
V	29.	pluriumque	plurimumque.
IX	19.	&	eſt.
XI	18.	rectu	reatu.
XIII	22.	pertinet	pertinent.
XXVII	27.	ipſi	ipſe.
XXIX	13.	ex	eæ.
XXXI	22.	valet	valeat.
	24.	primaria	primario.
XXXII	38.	ſpirituali	ſpiritualis.
XXXIV	4.	varias	varios.
	9.	affixam	affinem.
	15.	valet	valeat.
XLIV.	5.	etiam	aliam.
	12.	qui	quibus.
L	18.	rerum	reum.
	25.	conſecratus	conſecrata eſt.
LVII	3.	voluntariam	*adde* aut involuntariam.

Bayerische Staatsbibliothek München

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Greinwald, Anselm, / Rid, Franz, / Luz, Innocenz

Ratio studii theologici ex morum et dogmatum doctrinis in Regulari S. P. Augustini Canonia Raitenbuch reddita coram Reverendissimo, Celsissimo S. R. Imperii principe ac domino, domino Ludovico Josepho, divina gratia Frisingensium episcopo

Monachium 1775

4 Diss. 3230,22
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10958884-3
VD18 15062481-001